







10

39

40

41

42

43

44



1695.

39. Strykios, Samuel: De actionibus ex aequitate et facto  
naturali oriuntur.

40<sup>a et b</sup> Strykios, Samuel: De via facti principibus imperii per-  
missa. 2 Exempl. 1695 et 1705.

41<sup>a et b</sup> Strykios, Samuel: De causa incidente. 2 Exempl. 1695 et 1706.

42. Strykios, Samuel: De iure non cessitoti.

43<sup>a, b, c, d</sup> Thomarius, Christianus, Facultatis iuridicae . . . Deca-  
nus: et lectiones cursorias super tit. ff. de Rei iudicacione  
et disputacionem inauguralem de protestacione ius protes-  
tantis non conservante . . . a Joh. Antonio Walkhero  
. . . habentes invitat. 4 Exempl.

44<sup>a, b, c, d</sup> Thomarius, Christianus, Titus . . . et. Facult. Juris. Se-  
nior: et lectiones cursorias super tit. ff. de dolo malo . . .  
et disputacionem inauguralem de iure principis circa  
adiplosa . . . a Simone Rudolpho Bremmisen . . . habentes  
. . . invitat. 4 Exempl. 1695 et 1728

45<sup>a, b, c</sup> = Thomarius, Christianus: Trigram casuum ex regulis  
jurisprudentiali examinatorum ac decisorum. . . . .  
Horum examini proponit: 3 Exempl.

46. Thomarius, Christianus: De pactis dotalibus.

47<sup>a, b, c, d, e, f</sup> = Thomarius, Christianus: De jure principis circa  
diapora. 6. Exempl. 1695, 1699, 1727 = ~~1749~~<sup>1749</sup>.

48<sup>a, b, c</sup> = Thomarius, Christianus: De jure injusto hereditariorum.  
3 Exempl. 1695 & 1732.

49<sup>a, b, c, d, e</sup> = Thomarius, Christianus: De protectione jura protectionis  
sive non conservante. 5 Exempl. 1695, 1699 = 1741.







2. D. B. V.

EXERCITATIO ACADEMICA

De

IVRISPRVDEN-  
TIA PAVLI APO-  
STOLI.

AVCTORE

IO. SAMVELE STRYKIO IC.



---

RECUSA HALAE MAGDEBVRGICAE,  
Litteris CHRIST. HENCKELH, Acad. Typogr.  
ANNO MDCCV.



19

EXERCITATIO ACADEMICA  
 DE  
 IVRISPRVDEN-  
 TIA PAVL. APO-  
 STOLI  
 IO. SAMVELIS STRYKIO IC.



RECTORI HALLAE MAGDEBURGENSIS  
 LICENTIA CHRIST. HENCKELII, Acad. Typogr.  
 ANNO MDCCCLXXII





I. N. I.

LECTORI SALVTEM!



**D**ecennium fere præ-  
terlapsum est, cum hac exercitatio  
lucem primo conspiceret, arque  
respondente DN. DANIELE  
SCHRADERO, Patritio Ge-  
danensi, publicæ disquisitioni in  
hac FRIDERICIANA sub-

iiiceretur. Cum itaque multorum approbationem in-  
venerit hic qualiscunque labor, factum est, vt præter  
expectationem nostram exemplaria fere omnia fuerint  
distracta; ast cum nouam editionem varia negotia  
non statim permitterent, interim alibi eadem typis de-  
nuo fuit expressa; quibus exemplaribus iterum deficienti-  
bus, cum nunc iterata vice nouam editionem vrgeat  
typographus, non putavi æquum esse eius desiderio non  
satisfacere. Dedit huic scripto occasionem ipsa lectio  
sacrarum litterarum, in qua animaduertere licuit, Pau-  
lum Apostolum, Romani Iuris non ignarum, sæpe IC-

A 2

tum

tum egisse, atque ad principia Iuris Rom. prouocasse iisque  
 vsum esse. Vti id ex loco *Act. XXII. 25. & 28.* vbi solen-  
 niter ad ius ciuium Romanorum prouocat, aliisque in  
 dissertatione adductis, patet. Inde existimaui non in-  
 iucundum futurum esse legum cultoribus, si illa, quæ  
 huc pertinent, vno conspectu sifterem, atque adeo mul-  
 tarum decisionum Iuris nostri fundamenta ex ipsis fa-  
 cris litteris eruerem. Factum id est methodo Iustinia-  
 nea, quam habet in Institutionibus suis Imp. sed qua fieri  
 potuit breuitate, ne tædium lectori crearetur. Accesser-  
 runt quidem huic editioni nouæ obseruationes, sed pau-  
 cæ, cum non multum temporis reuisioni dare licuerit.  
 Ceterum id fateri veritatis causa cogor, non eandem ad-  
 huc in omnibus me fouere sententiam; Interim ma-  
 lui singula suo loco relinquere, quia sobrio iudicio satis  
 recte explicari possunt; vno tantum casu excepto, quo,  
 agnita veritatis luce, non potui non in Appendice prio-  
 rem sententiam publice reuocare. Id quod mihi pu-  
 dori non duco, cum omnino conueniat cordato scripto-  
 ri, sententiis semel conceptis non pertinaciter insistere,  
 sed, veritatem vnice quærendo, agnoscere errorem &  
 recedere. Quod & in posterum, sed nunquam nisi con-  
 victus, facere paratus sum. Tu vero, beneuole le-  
 ctor, recipe hoc qualecunque specimen Academicum  
 fauore tuo, & disce, scripturam sacram esse amœnis-  
 simum hortum, ex quo omni tempore generis omnis  
 flores & fructus amœnissimos petere licet. Crede &  
 manducabis. Vale. Dabam in REGIA FRIDERICIANA  
 ipsis Calend. Nouembr. A. R. S. MDCCIV.

(5)  
CAPVT I.

De  
LEGIBVS CIVILIBVS, ET  
IVRE PERSONARVM.

§. I.

**P**opulum Lege Regia omne Ius in Vnde pote-  
Principem transtulisse constat, §. 6. *Inst. de stat Principi-*  
*I. N. G. & C.* Verum non folius populi ar- *pum?*  
bitrio, sed præcipue Dei O. M. autoritate  
Principem niti, grauer inculcat Apосто-  
lus Paulus, *Rom. XIII.* vbi omne ius Principis a Deo de-  
riuat, vnde recte Principes Christiani Nos DEI GRA- *Titulus Dei*  
TIA titulis suis præmittunt: vt nihil sibi, nihil homini- *gratia.*  
bus, sed omnia Deo tribuant; Quia optime *omne studium,*  
*omnemque orationem eo dirigunt, vt crediti ipsis a DEO sub-*  
*diti bene viuant, & eius inueniant placationem,* sicut pie  
loquitur Iustinianus Imp. *Nov. 77. Proæm.* Imo fere dice-  
rem, a Paulo Apostolo mutuatos esse hunc titulum Prin-  
cipes nostros, quo DEI GRATIA se tales esse dicunt;  
Id enim aliquoties ab Apostolo factum est, quod adgra-  
tiam Dei prouocauerit, vt auctoritatem sibi in officio pa-  
raret, cuius rei exemplum *1. Cor. III. v. 10. & c. XV. v. 10.* per  
gratiam DEI sum, quod ipse sum. Sed cum præcipue *Tit. DEI*  
eminentiores potestates ius suum gratiæ diuinæ adscri- *providentia.*  
bant, vsu inualuit, vt Abbates alique minores Prælati se  
scribant non gratia, sed prouidentia diuina, *von Göttli-*  
*cher Vorsehung/oder Göttlicher Verhängnis* /vid. Be-  
fold. *Theaur. Pract. lit. G. n. 74.* Certe non sine omine; ple-  
rique enim Abbates & Prælati non gratiæ, sed prouiden-  
tiæ

tiæ diuinæ dignitatem suam debent. Recte igitur alii distinguunt inter sensum huius tituli communem seu Theologicum, & singularem seu politicum. Hoc sensu Principibus adscribitur; priori vero omnes Christiani gratiæ diuinæ merito acceptum ferunt, quodcunque ex animi corporisque bonis possident, Dn. Henric. Petr. Haberkorn, *Decision. Iur. qu. 134.* Geisler. *Dissert. de Titul. Nos DEI gratia, P. 2. cap. 1. §. 9.*

## §. II.

Princeps LL  
solutus.

Quod ergo ICtus in *L. 31. ff. de LL.* dicit, Principem legibus esse solutum, id ex Apostoli principiis *Rom. XIII.* pariter colligitur; si enim nemini ex populo cognoscendi de factis Principum ius est, sed sola parendi gloria subditis relicta, *Rom. XIII. v. 1. & 3.* nec subditorum est, Principilegem præscribere, iuxta quam uiuat, nisi sponte suis legibus ciuilibus se subiiciat, *L. Digna vox 4. C. de LL. L. Ex imperfecto 23. ff. deleg. 3.*

## §. III.

Leges in  
Conscientia  
obligant.

Vterius legum ciuiliū auctoritas quoad subditos egregie confirmatur ab Apostolo; quamuis enim prolixè inter moralium Dd. disputari soleat, an leges ciuiles obligent in conscientia, uti videre est apud Azorium *Institut. Moral. Lib. 5. cap. 6.* & Sandersonium *de Obligat. Conscient. prælect. 5. §. 6.* ubi hanc quæstionem a multis negari, ab aliis affirmari, ab aliis vero distinguendo resolui dicit; si tamen ad Apostolum recurramus *Rom. XIII. v. 5.* etiam *δικτὴν συνείδησιν*, propter conscientiam, legibus a maiestate præscriptis parendum esse constat. Quo Apostoli asserto ductus laudatus Sanderson *prælect. 5. §. 32.* obligationem illam legum ciuiliū in conscientia

tia nasci non tam ex *vi propria*, quam *virtute diuini alicuius præcepti* seu instituti, in quo fundantur, existimat: quod commode eo ipso exprimit Apostolus, dum *d. cap. 13. v. 2.* dicit; qui Magistratui non paret, resistit ordinationi diuinæ *τῆς ἁγίας διαταγῆς*; qui vero huic resistit, ipso quasi facto damnationem incurrit.

## §. IV.

Non autem solis Principibus Christianis hæc emi- *Etiã Eth-*  
nentia tributa, sed etiam ethnicis & infidelibus. Talis *nicorum*  
enim tempore Apostoli erat Imperator, & reliqui Roma- *Imp. leges*  
norum Magistratus; ergo dum ad Romanos scribebat, *obligant.*  
omnino illos intelligere voluit. Vnde frustra sunt illi,  
qui inter Principem *iustum & iniustum*, ac inter Principem  
*eiusdem & diuersa religionis* distinguunt; vtroque  
enim necessitas parendi adest, & ex illorum omnium  
præceptis vinculum conscientiæ iniicitur. Hinc rectis-  
sime Grotius *de I. B. & P. l. 1. c. 3. §. 9.* eos refellit, qui mu-  
tuam sibi subiectionem fingunt, vt populus vniuersus  
Regi recte imperanti parere debeat, Rex autem male  
imperans populo subiiciatur. Quam in rem optime de  
Augusto scribit Augustinus *de Ciu. Dei l. 5. c. 21.* dicendo:  
*Qui Augusto imperium dedit, ipse & Neroni, qui Vespasia-  
nus vel Patri vel filio suauissimis Imp. ipse & Domitiano  
crudelissimo.* Et si aliter statueretur, hoc esset totas mo-  
uere ac concutere Respublicas, & facere, vt fulmenta  
lectum scanderent, Ziegler. *de Iur. Maies. l. 1. cap. 4. §.*  
*11.* Sed materiam in illorum legibus indifferentem sup-  
pono; nam quæ Iure diuino iam præcepta vel interdi-  
cta sunt, non subiacent amplius Legislatoris arbitrio; &  
huc quadrat illud Apostoli Petri assertum; DEO magis  
pa-

*Limitatio.*

parendum esse, quam hominibus, *Athor. IV. 19. & cap. V. 29. add. Dan. VI. 7. seqq.* Ex quibus & illud patet nullo iure Cæsarem, vel Pontificem Romanum eximere posse subditos, ac liberare ab obedientia quam Principi suo debent, licet ille deficiat a sede Romana diuersamque amplectatur religionem, vti Tesmarus differit *in not. ad Grot. l. 1. c. 2. §. 7. lit. p.*

## §. V.

*Merum Imperium s potestas gladii*

Non hic omittendum est, quod in iure nostro merum imperium gladii potestas vocari soleat *L. Imperium 3. ff. de Jurisd. L. Nemo 70. ff. de R. I.* Et quidem vti Vlpianus in *d. L. 3.* addit, ideo, vt animaduertere in facinorosos possit magistratus. Hoc idem est, quod Apostolus *Rom. XIII. 4.* inculcat: *Dei minister est tuo bono; quod si feceris, quod malum est, metue, non enim frustra gladium gerit: nam Dei minister est vindex ad iram ei, qui quod malum est fecerit.* Inde Imp. Constantinus & Constans in *L. 31. C. ad L. Iul. de Adult.* iubemus, inquit, *insurgere leges, armari iura gladio ultore, vt exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt vel futuri sunt rei.*

## §. VI.

*Disputationes de Religione.*

Sed quid sentiendum de illis Imperatorum interdictis, quæ in iure nostro conspiciuntur, vbi libertas de Religione disputandi prohibita? Extat huius rei exemplum in *L. nemo 4. C. de S. S. Trinit.* vbi interdicitur de illis, quæ semel in conciliis iudicata ac recte disposita, publice disputare. Imo in *L. 3. §. quoniam 3. C. d. t.* dispositum, quod illorum scripta, qui doctrinas quasdam ediderunt ambiguas, & non per omnia ac precise congruentes expositæ *orthodoxæ fidei a sancta synodo Nicæna, comburi debeant, ne* in



in vllius cognitionem veniant. Certe non videtur hoc cum principiis Apostoli Pauli quadrare, libertatē vbiq; commendantis, serioque præcipientis, ne quis mancipium hominis fieret, *1. Cor. VII. v. 23.* Verum Apostolus *2. Tim. II. v. 16.* ipse fatetur: vanas & otiosas disputationes inducere ad impietatem, & inde etiam a Philosophorum tricis cauendum censet, *1. Tim. VI. v. 20.* Ita ad *Tit. III. 9.* expresse vult, debere Titum abstinere a contentionibus & disputationibus circa legem. Vbi non potest non intellexisse legem diuinam circa quam non pauca oriebantur inter Iudæos controuersia. Inde, quod vulgata habet: *pugnas legis deuita*, id explicatius interpretatur Vatablus ad *ist. loc.* his verbis: *concertationes, que ex Lege oriuntur, omitte.* Cui explicationi & Hieronymus ad stipulatur in simulque docet, per vocem, *Genealogias*, ibi intelligi, *sermones Iudæorum de generatione*; nam *consuetos fuisse Iudæos ab exordio Adam vsque ad extremum Zorobabel, omnium generationes ita memoriter velociterque percurrere, vt eorum suum putares referre nomen*, quam explicationem refert & probat Zegerus ad *d. loc.* Vt inde non dubie appareat, de disputationibus Iudæorum circa legem diuinam ibidem agere Apostolum, atque suo exemplo docere, non illicite controuersias Theologicas inutiles & periculosas prohiberi. Inde Cicero præcipuus, ex Romanorum *ICTis Lib. 2. de Nat. Deor. cap. vlt.* malam & impiam consuetudinem esse censet, contra DEOS disputandi, siue ex animo id fiat, siue simulate. In specie vero prohibet Apostolus *Hebr. XIII. v. 9.* ne variis & peregrinis doctrinis dida-

B

X<sup>245</sup>

χαῖς ποικίλας καὶ ξένας abducantur a vera religione. Iuste ergo Princeps interdicit tales controuersias, quæ ad pietatem nihil faciunt, sed tantum turbant animos hominum, imo totam Remp. Add. 1. *Tim. VI. 3. 4. 5.*

## §. VI.

*Sententia  
Apostoli de  
Iure naturæ.*

Porro Iuris Naturæ & Gentium rationem subinde habuisse Paulum, & eo prouocasse constat. Insignis de Iure naturæ locus est *Rom. II. 14. & 15.* vbi de lege cordibus inscripta agitur. Qui character Iuris naturæ, quamuis quibusdam displiceat, omnino tamen cum Apostolo defendendus. Natura enim nobis non concipienda est alia, quam quæ a summo rerum Creatore omnibus creaturis indita. Recte Seneca *Lib. 4. de Benef. cap. 7.* quid aliud est natura, quam DEVS, & diuina ratio, toti mundo & partibus eius inserta? Ergo nihil agis ingratisime mortalium, qui te negas DEO debere, sed natura, quia nihil natura sine DEO est, nec DEVS sine natura, sed idem est uterque nec distat officio. Cum vero hominem ratione instructum voluerit DEVS O. M. huic rationi, Apostolo teste, eiusmodi principia inscripsit, quæ si circumspicte sequatur, ad cognitionem DEI peruenire possit, *Rom. I. 19. 20. 21.* Conspirat iterum Romanæ prudentiæ Antesignanus Cicero *Lib. I. de Nat. Deor. cap. 16.* quando dicit: qua est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum? Et porro *Lib. 2. cap. 4.* Omnibus innatum est, & in animo quasi insculptum, esse Deos; quales sint, varium est, esse nemo negat. Et in *Orat. pro Milone.* Est hæc non scripta, sed nata Lex, quam non didi-

ci-

imus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Conf. de hac materia Celeberr. D. Osiander in *Typ. Iur. Nat. parte Special.*

## §. VIII.

Nec est, vt hic quispiam ex B. Pufendorffio l. 2. de *De principi-*  
*7. N. & G. c. 3. §. 13.* aliisque, nobis obiicit, *gratis hac* <sup>*piis nobis-*</sup>  
*singi, si puerorum ex infantili inscitia paulatim emer-* <sup>*cumnatus.*</sup>  
*gentium, profectus accuratius obseruentur.* Siquidem eo  
 ipso nihil aliud euincitur, quam durante ætate im-  
 puberi quasi vinculis quibusdam ligari ac detineri rationem, hoc vero impedimentum per bonam educationem solui: non aliter atque proprietatem ac dominium rerum suarum retinet quis, etiamsi exercitio eiusdem ad tempus destituatur. Recte igitur Chryso-  
 stomus *Orat. X. de Seruis*: Mentem habens scies ex  
*emet ipsa*, quid tibi sit faciendum, & quomodo. Quæ  
 omnia tamen, non nisi de generalibus Iuris Naturalis præceptis, de quibus & Pufendorffius loquitur, intellecta volumus. In specialibus enim facilius hæsitamus, nisi clarius lumen ipsius Spiritus sancti nobis afulgeat. Vnde non credimus reuera dissentire a nobis Dn. Rachelium in aureo suo *ad Offic. Cicer. commentario Proleg. §. 33. & 35. & in Dissert. I. de Iure Naturæ §. 17.* vbi de præceptis Iuris Naturæ specialibus ipsum loqui, non difficile colligere licet. Add. idem  
*in Proleg. in Cic. §. 49. & in Commentar. l. 1. Offic. ad verba: principio p. 34. in fin. & ad verb. impellit p. 42. Meretur hanc in rem conferri Richard. Cumberland de*

*LL. Naturæ Cap. II. per tot.* quo loco non quidem ver-  
bis, sed re ipsa tamen pro nostra sententia pugnat.

## §. IX.

*Comam alere  
an contra  
naturam?*

Non tamen diffiteor, naturam quandoque pro consuetudine capere Apostolum, cuius rei exemplum, *1. Cor. XI. v. 14.* vbi naturam docere dicit, maribus ignominiam esse, si comam nutriant, mulieribus vero gloriæ, si eam alant. Ad quem locum Grotius: *Non est hoc plane naturale; sed sicut Icti iuri Gentium saepe dant nomen iuris natura, ita & naturalia dicuntur, quæ non sine probabili ratione longe & late recepta sunt;* quam varie alii dissentiant, legi potest ad illum Apostolicum locum apud Matth. Polum in *Synops. Critic.* sane Nazareis comam alere iussum aliquando fuit, *Num. IV, 5.* Sed ius naturæ hic non respexisse Apostolum, ipse semet explicat, dum in *v. 16.* ad solam consuetudinem prouocat; consuetudinem vero semel ab ecclesia receptam violans quadantenus naturam violare videtur, Add. Iacob. Godofred. *Tr. de Veland. mulier.* Quæ diuersitas naturæ & Iuris Naturæ manifestior redditur eleganti exemplo, quod Herodotus affert in *Thalia*, Darium scilicet Græcos quosdam sub suo imperio habitantes conuocasse, ac quæsiuisset, quantam poscerent pecuniæ summam, vt defunctis parentibus, Indorum more vescerentur; istos vero, ad hanc se immanitatem nullo pretio adduci posse, respondisse: postea eum Indos aduocatos rogasse, qua pecuniæ summa eos inducere posset, vt defunctos patres recepto a Græcis more in rogo comburerent, nec deinceps illis vescerentur; cui

*Consuetudo  
pro natura.*

cui & hos reclamasse, ac detestandum hoc facinus credidisse, dicto loco Herodorus scriptum reliquit. Uterque hic populus illud contra naturam assererat, quod moribus patriis ac longa consuetudine non receptum.

## §. X.

Ad Gentium quoque ius solenniter prouocat *De Iure Gentium.* Apostolus *I. Cor. V. 1.* incestum gentibus ignotum exprobrando Corinthiis; dum enim hoc, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, & apud omnes populos, moratiores scilicet peræque custoditur, iure nostro ad ius gentium refertur §. 1. *Inst. de I. N. G. & Ciu.* merito, quod a gentibus vel reprobatur, vel ignoratur, iuri gentium aduersum reputauit Apostolus. E contrario ex usu gentium illud, quod naturæ conueniens est, deduci solet, quod & fecit Apostolus *Rom. II. v. 14.* Quando itaque gentes iustitiam non sectatas esse, dicit Apostolus *Rom. IX. v. 30.* non iustitiam illam, quæ ex lumine naturæ & rationis dependet, sed iustitiam fidei se intelligere, satis perspicue subiicit. Interim & gentes lumen rationis cordibus inscriptum sæpius violasse non negat Apostolus *I. Theff. IV. v. 5.* Ex hac itaque Apostoli doctrina & illud discimus, quam caute agendum sit exemplis gentium: & quam male faciant, qui ex solo usu gentium ius aliquod deducunt.

## §. XI.

Sufficiant hæc pro instituti nostri ratione de *Le-Seruius non* gibus in genere adduxisse; Iam ad ius personarum *de-improbatur* ascendendum erit propius. Absoluitur vero hoc tri- *ab Apostolo.*

plici hominum statu, libertatis, ciuitatis & familia. Ex primo statu homines ius nostrum distinguit in liberos & seruos, *princ. Inst. de iur. person.* quam distinctionem clare agnoscit Apostolus *ad Ephef. VI. 8. & ad Gal. III. 28.* Equidem conditionem seruilem quadantenus contra naturam esse, asserit Florentinus ICTus *in L. 4. §. 1. ff. de Stat. homin.* verum non ius naturæ, sed statum naturalem ibi intelligi, abunde demonstratum est a Iuris nostri Interpretibus. Idem ex Apostoli assensu probari poterit, qui seruitutem non improbauit, sed seruis obsequium *μετὰ φόβου, καὶ τρέφους*, cum timore & tremore imperauit, & eadem quidem fide, quam si Christo seruirent, *Eph. VI. 5. 6. 7. ad Coloss. III. 22.* Unde apparet asserum illud Pauli *1. Cor. VII. 23.* dicentis, nolite fieri serui hominum, ad hunc locum non pertinere.

## §. XII.

*Domini officium erga seruos.*

Cum autem Ius nostrum nimiam asperitatem dominorum in seruos improbet, & hinc auxilium seruis contra sæuitiam dominorum præstet, §. 2. *Inst. de his, qui sui vel alien. iur.* idem commendat Apostolus, vt domini τὸ δίκαιον, καὶ τὴν ἰσότητα exhibeant seruis, siue ex bono & æquo cum ipsis procedant, *ad Coloss. IV. 1.* hinc non tantum sæuitiam dominis inhibet, sed etiam minas *Ephef. VI. 9.* sicut explicauit Erasmus; *domini sint minus feroces, minusque minabundi.* Nam & iniuriam seruis sine causa illatam vindicabit Deus *ad Coloss. III. 25.* Conuenit huic Apostoli asserto illud Ciceronis *Lib. I. de Offic. meminimus & aduersus infimos iustitiam esse seruandam.* Quem locum Ci-

Ciceronis cum illo Pauli si conferas, non lac lacti, non ouum ovo magis simile, dicit Scipio Gentilis *Commentar. Epist. ad Philemon. §. 43. ad vers. 16.* quamuis, quæ de contumelia seruis detrahenda cum prioribus ex Cicerone connectit Gentilis, apud Ciceronem non deprehendantur. Clarius pro Apostoli sententia scripsit Plato *lib. 6. de LL.* quando, de educatione seruorum agens dicit: *nulla ipsis contumelia inferatur, iniuriaque his multo minus, si fieri possit, quam equalibus inferenda. Liquido enim cognoscitur, qui natura non sitte iusticiam colit, oditque reuera iniquitatem, quam cauet, ne his iniuriam faciat, quibus facile potest.* Idem cum Apostolo sensit Seneca, quem & nouisse Paulum, & inter amicos habuisse referunt. Ille vero *lib. 1. de Clement. cap. 18.* seruis moderate imperare laus est, & in mancipio cogitandum est, non quantum illud pati impune possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura, que parcere etiam captiuis & pretio paratis, iubet. Conf. Scipio Gentil. in *Comment. ad Epist. Pauli ad Philemon. vers. 16.* qui extat *Tom. VII. Critic. Sacr.* Ex quibus locis reprehenduntur illi, qui inter Christianos, adeo crudeliter & tyrannice se gerunt erga familiam suam, item rusticos, qui tamen nec serui proprie sunt, sed liberi homines.

## §. XIII.

Hoc vero hic prætereundum non est, annon ser- *An bap-*  
 vus infidelis (quales nonnunquam apud nos reperiun- *smus a serui-*  
 tur in captiuis Turcis) ad Christianam religionem *ture liberet?*  
 conuersus, & sacro baptismatis fonte in societatem  
 Ecclesiæ receptus, eo ipso liberetur a potestate domi-  
 ni?

ni? Iure nostro ciuili Christianum Christiano seruo  
 uti posse, constat ex *Tit. Cod. ne Christian. mancip. heret.*  
*vel Ind. hab.* quod enim Iudæis & paganis hic interd-  
 ctum, Christianis concessum est: sed contradicere  
 viderur Apostolus *in Epist. ad Philem. v. 16.* vbi seruum  
 Onesimum ad Christianam religionem conuersum  
 remittit ad dominum, sed hac lege, *ne ipsum amplius*  
*ut seruum, sed ut fratrem haberet*; ex quo non pauci  
 colligunt, religionem Christianam liberare a statu ser-  
 uili: quam efficaciam baptismo quoque tribuit Pius V.  
 Pontifex, cuius constitutionem allegat Gudelin. *de lu-*  
*re nouiss. Lib. I. cap. 4. §. attamen.* Verum quod in ar-  
 gumentum misericordiæ conciliandum adduxit *cit. loc.*  
 Apostolus, non allegandum ad argumentum amit-  
 tendi iuris dominici. Nam in locis supra citatis *ad*  
*Ephef. VI. 5. sequ. ad Col. III. 22.* ipse Apostolus seruos  
 Christianos admonet, vt prompte obsequium Domi-  
 nis præstent. Et Tirum etiam instruit vt seruos  
 ad præstandum dominis debitum obsequium ad-  
 hortetur. *ad Tit. II. 9.* Imo alibi etiam satis se expli-  
 cuit Apostolus, scil. seruos illos, qui fideles dominos  
 habent, *sub hoc prætextu, quod fratres ipsorum sint se*  
*seruius illorum non subtrahere, sed eo promptiores ad*  
*seruiendum esse debere I. Tim. VI. 2.* Vnde, quando Eras-  
 mus ad illum locum Apostoli dicit: *Turpe esse inter*  
*Christianos nomen heri aut serui audiri; cum enim bap-*  
*tismus omnes pares reddat, qui conuenit fratrem fratri ser-*  
*uum appellari, eam sententiam magis piam, quam ve-*  
*ram asserit Alber. Gentil. Lib. 3. de Iur. Bell. cap. 9.* Et  
 facit pro nostra opinione insignis locus Iuris Canon.  
 in



in C. Per venerabilem 13. X. qui filii sint legit. vbi seruum in presbyterum ordinari, & ita per hoc liberari seruitute asserit Pontifex; ex quo sequitur, quod solo baptisate liberatus non fit. Excipit quidem casum, Scipio Gentil. *Comment. in Epist. ad Philem. §. 44. ad verba: ἀλλ' ὑπὲρ δούλων;* vbi baptisate liberetur seruus, si scilicet ipse herus infidelem seruum baptizandum curet, ex hac ratione, quod ita seruum sibi quasi filium adoptet; quæ Scipionis sententia fortius forsitan procederet, si ipse dominus susceptor serui in baptisate fiat, per paternitatem spiritualem ita contractam; sed hæc exceptio nec diuini, nec humani iuris est, licet omnino pie fecerit dominus, si hunc seruum baptizatum non amplius vt seruum, sed Apostolo monitore, vt fratrem habeat. Conf. Bodinus *de Republ. Lib. 1. cap. 5.* Nec obiici huic sententiæ potest locus Apostoli *ad Galat. III. 28.* vbi de baptizatis Christianis dicit, non esse amplius differentiam inter seruum, & liberum. Nam patet cuilibet non sublatam ibidem ab Apostolo esse diuersitatem *status civilis*, cum alias dicendum foret, & diuersitatem *status naturalis* s. sexus eundem sustulisse, addit enim Apostolus, nec esse marem nec feminam. Sed id ibidem innuitur, non esse diuersitatem ratione salutis æternæ inter fideles, cuiuscunque conditionis, status, & sexus sint.

## §. XIV.

Libertos siue libertinos Ius nostrum appellat, *De libertis.*  
 qui ex iusta seruitute manumissi sunt, *pr. Inst. de libert.*  
 Eorundem sortem agnoscit Apostolus *1. Cor. VII. 22.*  
 Vocem enim ἀπελεύθερος, libertinum significare, constat

C

stat

stat ex græco Institutionum paraphraſte Theophilo princ. tit. de libertin. vbi dicit: ἀπελεύθερος ἐστίν, ὁ ἐν δικαίᾳ δαλείᾳ ἐλευθερωθείς. Et ad hanc hominum sortem plerique referunt libertinorum appellationem, quorum mentio fit Act. VI. 9. multi enim ex libertinis Iudæorum religioni semet applicabant, quorum pertinet Taciti locus Lib. 2. *Annal.* quatuor millia libertini generis superstitione Iudaica infecta, missa in Sardiniam. Et quamvis alii libertinos ad certam gentem referre velint, quod inde probabile reddi posset, cum teste Drusio in Tom. 7. *Criticor. Sacr. add. Cap. VI. 9.* etiam Syrus interpres libertini vocem cum textu Græco retinuerit; ipse tamen Drusius fatetur, nullam causam superesse, quare a propria libertinorum appellatione discedi debeat. Add. alia Polo in *Synops. Critic. alleg. add. v. 9.* citati. Interim vt ad locum Pauli 1. Cor. VII. 22. reuertamur, non dicimus, Paulum ibi de libertinis ex seruitute manumissis proprie agere, sed tantum similitudinis causa hac voce vti: ast vox tamen secundum proprium sensum, eo tempore receptum, explicanda, cum ita intentionem Apostoli, eiusque scopum eo perfectius cognoscere liceat. Sed hoc deducere nunc non licet, prudentiores id agnoscent facile, si rem accuratiori meditationi subiecerint.

## §. XV.

De Iure Ciuitatis.

Quoad statum ciuitatis constat, homines distinguui in ciues & peregrinos. Quamvis enim Imp. Antonius omnes in orbe Romano habitantes ciues Romanos effecerit, L. in orbe 17. ff. de Stat. hom. antea tamen aliter se res habebat, vbi magno pretio ius illud ciui-

ciuitatis redimebatur, *Aët. XXII. v. 28.* vnde magna Ciuium Romanorum præ aliis subiectis auctoritas & immunitas erat. Hinc Apostolus Paulus publice ad Ius ciuitatis Romanæ sibi competens prouocabat, *De Pauli Patria.* dum se non coëmtione, sed natiuitate ciuem Romanum esse asserbat, *d. v. 28.* Patria enim Pauli Tharsus in Cilicia erat, quam Romanorum coloniam, & ita Iure ciuitatis Romanæ donatam fuisse, negat quidem Grotius in *Not. Bibl. ad cap. XXII. Aët. v. 28.* & inde Apostoli Pauli maiores ob seruitia bellica Romanis exhibita ius ciuitatis speciatim promeruisse, suspicatur; sed a Iulii Cæsaris temporibus, cui, & Octauiano, adeo studuerant Tharsenses, vt urbem suam *Iulio-polin* appellari maluerint, ius ciuitatis Romanæ repetendum esse, accuratissime demonstrauit celeberr. noster Cellarius in *Dissert. quam inscripsit Amœnitates Historicas ex itinerib. S. Pauli Apostoli tb. 3.*

## §. XVI.

Demum ius personarum in statu familiæ consistit, vbi quis aut paterfamilias, aut filius familias est. *De iure filii-familias.* Filiosfamil. Iure Romano veteri omnia parentibus acquisiuisse constat, & quidem sine distinctione, sicuti testatur Imp. in §. 1. *Inst. per quas pers. acquir.* adeo, vt ne quidem per momentum acquisitio in persona filii substituerit, *L. placet. 79. ff. de acquir. hered.* vnde eadem illorum, quam seruorum erat conditio; sicuti enim omne peculium seruorum, ita quoque filiorum famil. erat profectitium, donec tandem benignitate Imperatorum filiisfamil. certa bona habere permissum. *per Tit. Cod. de bon. quæ lib.* imo olim aque vt serui

noxæ dari poterant, tam filii, quam filiæfamil. §. *fin. Inst. de noxal. action.* Ad illum Iuris Romani statum respexit pariter Apostolus, quando *ad Galat. IV. 1.* quam diu heres infans est, tamdiu inter ipsum & seruum nullam differentiam esse, dicit; quæ verba quidem non ad filiumfamil. spectant, sed ad eum, qui patre orbatus; argumentum tamen inde colligi poterit, multo magis vivente patre filiumfamil. intuitu iuris paterni a seruo parum vel plane non distinctum fuisse. Huius tamen asserti sensum proprium vid. infra §. XXVII.

## §. XVII.

*Officium paternum.*

Hanc patriam potestatem Ius nostrum non in atrocitate, sed in pietate consistere, assertit, *L. Divus Hadrianus s. ff. ad L. Pomp. de parric.* ita vt, quamuis ius castigandi liberos relictum parentibus, si illi pietatem his debitam non agnoscant, *L. si filius 3. C. de patr. potest.* sæuitia tamen nimia improbetur, vnde nec libertatem liberis eripere poterat pater *L. fin. C. de patr. potest.* Similia habet Apostolus *ad Eph. VI. v. 1.* vbi liberis primo obedientiam parentibus præstandam, vehementer commendat; sed pariter parentibus commendat *πατέραν καὶ υἱοτέραν*, h. e. vt ipsos instituant in rebus scitu necessariis & admonitionibus paternis ad sanam mentem reuocent; quamuis Grotius non male hic per *πατέραν* institutionem per pœnas, & per *υἱοτέραν* institutionem per verba intelligat, vt sic modica castigatio parentibus simul commendata censeatur, quam toties quoties inculcat Syracides. Temperamentum tamen hoc illi addit Apostolus, *ne liberi*  
ad

ad iracundiam prouocentur, h. e. ne nimia parentum fœuitia inducti, iugum paternum penitus exuant. Conf. Coloss. III. 21.

## §. XVIII.

Patriæ potestatis causam præcipuam esse nuptias constat ex Tit. Instit. de patr. potest. quænam vero mutua coniugum inter se officia esse debeant, optime exposuit Apostolus Eph. V. 22. & seqq. ubi vxori obsequium marito exhibendum iniungit, quod postea repetit Coloss. III. 18. Eiusdem obsequii intuitu tot priuilegia in repetenda dote mulieribus concessit Iustinianus in L. Assiduis 12. C. qui potior. in pign. Et inde quoque deriuandum censeo, quod vxor marito ad operas præstandas obligetur, arg. L. 31. pr. & §. 1. ff. de donat. inter vir. & vxor. quod in obsequialibus & æconomicis operis expeditum; artificiales vero non promiscue ab vxore exigendæ, Mev. ad Ius Lubec. Lib. 2. tit. 2. art. 12. n. 136. Conf. Kohl. ad Constit. March. de de Success. coniug. qu. 7. Illa etiam dilectio vxoris marito ab Apostolo iniuncta, Eph. V. 29. nutriendi & fouendi onus simul continet. d. v. 30. vnde maritus ipse de necessariis vitæ subsidiis prospicere debet vxori, quam diu hæc domesticas operas ipsi non denegat.

## §. XIX.

Non itaque dici potest, nuptias penitus impro- Nuptia ap-  
basse Apostolum, quamuis enim I. Cor. VII. v. 1. dicat, probantur.  
bonum esse homini vxorem non tangere, subiicit tamen  
mox; consultum esse, vt vnus quisque, euitandæ for-  
nicationis causa, propriam vxorem habeat. Nuptias Quid de se-  
vero secundas quod attinet, illas ius nostrum odio ha-  
bet, priis?

bet, *tot. Tit. C. de secund. nupt. Nou. 22. c. 18. seqq.* vnde & viduitatem sub pœna amittendi legati indicere fas erat, *L. 2. C. de indict. viduit*; cum incontinentiæ quandam speciem continere viderentur: Quapropter, quamvis Apostolus non penitus prohibuerit secundas nuptias, *1. Cor. VII. 39.* beatiorem tamen censuit viduam, quæ ad secunda vota non conuolauerit. *1. Tim. V. 11.*

## §. XX.

*An Ecclesiæ  
ministris  
permissa?*

Sed annon Ecclesiæ Ministris secundas nuptias interdixit, *1. Tim. III. 2.* Nosstrates plerique negant; sed sunt tamen, qui & successiuam & simultaneam polygamiam hic interdictam esse defendunt, inter quos Nicol. Zegerus, *Tom. VII. Criticor. Sacr. I. Tim. III. v. 1.* nec improbabilis illa sententia est, quæ successiuam bigamiam ab Apostolo interdictam esse asserit, si conferamus eandem epist. *1. Tim. V. 9.* vbi illa tantum vidua eligi debebat ad Ministerium sacrum, quæ fuisset vnus mariti vxor; atqui vero vnâ vxorem duobus maritis simul nuptam fuisse, inauditum est. Si leges Iustinianeas conferamus, perspicue statutum videmus in *Nov. 123. cap. 1.* ad Episcopatum neminem admittendum esse, nisi vel plane cœlebs, vel vxorem habuerit *vnâ & primâ*, neque viduam, neque viro coniunctam, quod repetitum videtur ex Vet. Testamento *Leuit. XXI. 13. 14.* Conspirat Ius Canon. *tot. Tit. X. de bigam. non ordin.* vbi nec per dispensationem ad ordinationem admitti possunt, qui secundas nuptias contraxerunt, *C. 2. X. d. 1.* Interim quæ pro defendendo successiuo Clericorum matrimonio facere possunt, pro-

prolixè persecutus est Gerhard. *Loc. de Ministr. Eccles.*  
*§. 355. seqq.*

## §. XXI.

Nuptias inter Christianum & Iudæam, & vice *Nuptia cum*  
 versa, prohibuerunt Impp. *in L. 6. C. de Iudæis*, adeo, *vt in fidelibus.*  
 qui hoc fecerit, adulteri reus reputetur; quod annon  
 pugnet cum asserto Apostoli *I. Cor. VII. 13.* vbi nuptiæ  
 inter fidelem & infidelem pro illicitis non reputantur,  
 controuerti solet? Fateor quidem solam infidelita-  
 tem per se non resistere nuptiis, multo minus illam  
 vinculum coniugii tollere, vt volunt Pontificii, quan-  
 do dicunt: Coniugia infidelium solui posse quoad  
 vinculum, si alter coniugum conuertatur ad fidem,  
 & alter ei nolit, cohabitare, sine iniuria creatoris, fi-  
 delium autem solui non posse quoad vinculum, qua-  
 cunque ex causa, quod si vero alterutra pars a fide  
 Catholica recedat, fidelem quoad cohabitationem  
 ab eadem dissolui posse, ceu existimat Bellarmin.  
*Lib. de matrim. cap. 12. §. 2. & cap. 14. §. 5.* Quæ ta-  
 men sententia prolixè refutata est a B. Gerhard. *Loc.*  
*de Coniug. §. 665.* Hoc autem concedendum puto, posse  
 Principem ex iusta causa matrimonium per se non il-  
 licitum; sub certa pœna prohibere, præsertim si scan-  
 dalum inde nasci videat in Republ. quale quidem ho-  
 die, vbi Ecclesia satis plantata est, contingeret, si Chri-  
 stiani cum Iudæis matrimonia contrahere vellent. Vt  
 ita Legibus nostris non aduersetur Apostolus. Quin  
 potius si exempla primitiuae Ecclesiæ respicimus, ap-  
 paret primos Christianos, qui per matrimonium non  
 solam vnitatem carnis sed potissimum vnitatem spiri-  
 tus

tus intendebant, semper a matrimonio cum infideli & impio, serio abstinuisse: vid. Tertullian. *l. 2. ad vxor. c. 2.* Hieronymus *l. 1. adu. Iovin.* Cyprianus *l. 3. testim. adu. Iud. c. 62* Augustin. *lib. de fide & Oper. c. 19.*

## §. XXII.

*De malitia  
sa desertio-  
ne.*

Hoc tamen non tantum in casu coniugis infidelis, sed etiam fidelis, generaliter admittendum puto, quod quidem in terminis infidelis discedentis expressit Apostolus *1. Cor. VII. 15. Si infidelis discedit, discedat,* scil. personam desertam tali casu liberari a vinculo matrimonii, & alias nuptias contrahere posse. Nam Saluator *Mattb. V. 32. & cap. XIX. 9.* vxorem non nisi ob fornicationem dimittendam esse inculcans, ad præsentem casum non respexit: Desertus enim non dimittit coniugem, sed deseritur; nec facit diuortium, sed patitur; vid. Carpz. *Iurispr. Eccles. Lib. 3. def. 56.* Sed annon, quod per Nouellas Iustiniani permissum est, vt scil. bona gratia mutuo coniugum dissensu dissolui queat matrimonium, *Nou. 22. cap. 4. & Nou. 140.* (quæ tamen non Iustiniani, sed iustini secundi est,) etiam permittente Apostolo licebit? Ita videtur *ex 1. Cor. VII. 5.* vbi ex consensu mutuo desertio permittitur. Sed mox subiicit Paulus, hoc tantum ad tempus fieri debere, ieiunii & orationis causa; vrget vero, vt mox ad cohabitationem redeant, ne Satanæ tentationibus locus fiat. Vnde ipse etiam Imperator mutuo dissensu discedendi potestatem sustulit, *Nou. 117. cap. 10.* sed quam subiicit limitationem, nisi *castitatis causa fiat,* nec sententiæ Apostoli, nec rationi satis congruit, vnde merito a nostratibus explosa. Rittershus. *ad*

*Nov.*



*Nov. p. 4. cap. 7. n. 9. Richter ad Auth. quod bodie, in fin. C. de repud.*

## §. XXIII.

Mortuo marito, Ius Romanum, vxori iniungit *De tempore luctus.*  
 certum tempus luctui destinandum, adeo, vt infamia  
 notetur, si interea ad alia vota conuolauerit, *L. 1. ff. de  
 bis, qui not. inf.* quod tempus luctus ab initio erat X.  
 mensium, *L. 8. §. 11. §. 1 & 2. ff. d. t.* vbi legitimum tem-  
 pus ex ipso Cicerone explicandum, qui *pro Cluent. cap.  
 35.* dicit: *que mulier obtestatione viri decem illis mensi-  
 bus, ne domum quidem vltiam, nisi socrus sua nosse debuit.*  
 Add. *Senec. de Consolat. cap. 15.* sed postea ad annum hoc  
 extensum ab Imperatoribus, *L. 2. C. de secund. nupt.*  
 Verum hoc improbasse videtur Apostolus, *1. Cor. VII.  
 v. 39.* vbi mulier liberata dicitur a vinculo, quo obstri-  
 cta marito, si hic mortuus, hinc nubere potest, cui  
 vult; Add. *Rom. VII. 2.* quod Apostoli assertum secu-  
 tus est Pontifex in *C. penult. §. vlt. X. de secund. nupt.*  
 Verum Apostoli sententiam non satis penetrasse Pon-  
 tificem probauit Gerhard. *Loc. de Coniug. §. 199.* Apo-  
 stolus enim non sustulit ritus ex honesta causa introdu-  
 ctos, inde etiam non dixit, nubat vidua quando velit, sed  
 ἢ θέλει, cui velit: hinc non prohibuit Apostolus, ne  
 vxor lugeat maritum, & legibus ciuilibus lugendi  
 terminum præscribentibus se submittat, quod tamen  
 fecit Pontifex intra tempus luctus expresse conceden-  
 do nuptias. Quippe non semper quod licet, omni tem-  
 pore licet, nec mox honestum est iuxta *L. Semper 42.  
 ff. de Rit. Nupt.* si promiscue sine omni circumstantia-  
 rum consideratione fiat, vid. Scipio Gentil. *de secund.  
 nupt.*

D

nupt. c. 18. circa fin. Rittershuf. de different. Iur. Ciu. & Can.  
Lib. 2. cap. 5.

## §. XXIV.

De Adopti-  
one.

Adoptionem quoque ad ius filiationis conse-  
quendum pertinere constat ex tot. Tit. ff. de adoption.  
hic enim, qui per naturam filius non est, legis benefi-  
cio in filium famil. adsciscitur, L. 2. ff. de adoption. ad  
quem modum consequendi filiationem, sed in sensu spi-  
rituali, respexit Apostolus, Rom. VIII. 15. quando spiri-  
tum adoptionis filiorum nobis datum esse dicit, *uobis*  
enim adoptionem etiam inter ICtos Græcos signifi-  
cat, vid. Theophilus Paraphr. Instit. ad tit. de adoption.  
Et hoc ius sacræ adoptionis principaliter Israelitis ad-  
scribit, Rom. IX. 4. Epb. I. 5. & Gal. IV. 5. contra ordinem  
tamen, naturæ, quam alias adoptio imitatur, §. 4.  
Inst. de adopt. adoptatas quoque gentes esse innuit  
Rom. IX. 24.

## §. XXV.

Elegans  
comparatio  
adoptionis  
spiritualis  
& civilis

Non possum non hoc loco adducere verba Pauli  
Votii ICti, qui in Commentar. ad tit. Instit. de Adopt. §.  
12. n. 2. comparisonem inter adoptionem spiritua-  
lem & civilem instituit, & præstantiam illius præ hac  
solidissime ostendit: *Verum ut utriusque natura adoptio-  
nis, id est civilis, & spiritualis innotescat magis, aliquot  
inter utramque differentias, qua mihi in mentem vene-  
runt, in chartam conuicere decreui. Adoptio illa civilis  
est, qua civis Romanus aliquem in filium-familias assumit,  
idque ad naturæ similitudinem. Spiritualis seu diuina  
adoptio nihil aliud est, quam gratiosa Dei sententia, qua  
fideles propter Christum ad filiorum conditionem acceptat.*  
Illa

*Illa est tantum extrinseca quadam denominatio, eorumque communicatio, que spectant externa, id est fortune quadam bona: Hec diuina, realis est quadam relatio, que in extrinseca fundatur actione, & ad quam sequitur noua nature ingeneratio, noue vite communicatio. In ciuili non succedunt illi, qui sunt ab extraneo adoptati, si testamento sint prateriti vel exhereditati: In diuina succedunt perpetuo, nec qui obsequio per Christum sibi spem succedendi parat, ea unquam excidit. Ibi, non quibus qui adoptatur est extraneus, quod & nepos ab auo, & filius emancipatus a patre possit adoptari: Hic quisquis in Dei filium assumitur, inspecta eiusdem natura deprauata omnino erat extraneus, & peregrinus, semotus a iure ciuium, & testamenti promissionum. Ibi adoptio ad successionem ordinatur, ut filius ab intestato in paternam succedat hereditatem, defuncto patre: Hic non ordinatur ad successionem adoptio, quod nec pater adoptans, nec frater primogenitus moriatur; ut hac ipsa tendat ad participationem eterne hereditatis, semper uiuentis Dei, quo cum una adoptiuus admittitur. Ibi potest adoptiuus successionem priuari, quia potest exheres impunescribi, cessante omni querela, remedio prateritionis: Hic, in tantum non exheredatur, ut licet ingratitude incurrat notam, ne quidem propter illam ipsam, que gratiosa est Dei Patris in nos miseros misericordia, (si respiscamus) secludatur. Ibi, dum plures sunt liberi, pro rata singuli succedunt, nunquam in uniuersam hereditatem: Hic, omnes in solidum celestis hereditatis sunt participes, nec quod confortem admittat alter, co minus e paterna hereditate percepturus est. Ibi, qui adoptatur per adoptionem non fit*

*particeps naturæ adoptantis, quod adoptio tantum sit imitatio naturæ, non identitas: Hic, quicumque in filium Dei adoptatur, diuina naturæ sit particeps. Ibi, non semper per adoptionem, qui adoptatur, in nomen, familiam, potestatem adoptantis transfertur: Hic, omnis fidelis a Deo adoptatus, in familiam, nomen, potestatem Dei viuentis assumitur. Ibi, ius adoptionis perire potest, etiam quandoque perit, eorum qui fuerunt in potestate patris adoptantis vel emancipatione, vel alio quo modo: Hic vero, ius adoptionis est perpetuum, ejusque iuris nunquam variaturi testis infallibilis est ipse Spiritus diuinus. Ibi externa quadam solemnia adhibentur, quædam indicia, quibus de consensu constat, & quisque vel sciat vel probet, se esse adoptatum: Hic, quicumque a Deo est adoptatus, id intus sentit & credit, Spiritu Sancto testante & acclamante, quod sit Dei filius. Ibi nullum fundamentum prærequiritur, ut quis possit in filium adoptari: hic, ut præcedat vocatio & iustificatio, quibus nitatur adoptio, necessum est. Ibi, naturæ filii impediunt adoptionem, ne spes eorum pereat, qui obsequio successionem sibi querunt: Hic, ipse Dei filius naturalis, ipsam fratrum sollicitat adoptionem, ut propter eum ab omni alienum inuidia ea peragatur. Ibi adoptio naturam imitatur, & ad naturæ similitudinem est introducta: Hic adoptio superat naturam, estque aliquod mysterium, quod satis assequi non possumus. Ibi fit adoptio propter defectum, in eorum solatium qui prole carent: hic adoptio orta est ex abundantia diuine bonitatis, & quidem in eorum solatium, qui adoptantur. &c.*

§. XXVI.

## §. XXVI.

Liberos parentibus defunctis aliorum tutela & *De Tutela.*  
 cura regi debere, iuri naturæ conueniens est, iuxta,  
 §. 6. *Inst. de Attilian. tut.* quo is, qui perfectæ ætatis non  
 est, alterius tutela regatur. Hinc vt testamento tutor  
 liberis daretur, ab incunabulis Imperii Romani obser-  
 vatum fuisse constat. Sic Tarquinius Priscus liberis  
 Regis Anci Marci testamento datus est tutor, sed infi-  
 gne exemplum perfidiæ præbuit, dum paternum illis  
 regnum præripuit, *Liu. lib. 1. Histor. cap. 35.* Idem po-  
 stea Legibus XII. Tabb. approbatum; ex quo tem-  
 pore obtinuit, vt tutor testamento constitutus omni-  
 bus aliis præferretur; nec agnati, nisi testamento  
 deficiente, admitterentur, *L. 11. pr. ff. de testam.*  
*tut.* Idem ius paternum, quantum ad facultatem  
 dandi tutorem, agnoscit Apostolus *Gal. IV. 2.* vbi filium  
 patre mortuo sub tutoribus esse, vsque ad præfinitum  
 a patre tempus, ostendit, quod sine dubio ex Iure Ro-  
 mano petium. Verum in eo de Apostoli verbis dispu-  
 tant, an ius definiendi, quousque tutela extendi debe-  
 at, patris arbitrio relictum sit? De breuiori tempore  
 conueniunt Icti, quod pater tutelam testamentariam  
 vsque ad annum X. XI. & XII. restringere valeat; sic  
 enim tempore adueniente tutela hæc expirat, per §. 5.  
*Inst. quib. mod. tut. finit.* de quo casu Apostolum intelli-  
 git Wissenb. *ad Instit. Disp. 7. tb. 39.* sed de longiori tem-  
 pore dissentiunt, cum vltra pubertatem tutela extendi  
 nequeat. Apostoli tamen verba generalia sunt, & si  
 Iure nostro id faceret pater, standum esset eius disposi-

tioni, sed confirmatione Iudicis opus foret pariter, quam si pater filio puberi curatorem testamento dedisset. *L. Si filio puberi 6. ff. de Confirm. Tutel.*

## §. XXVII.

*An infans habeat dominium bonorum patris.*

Disquiri alias solet, an patre mortuo filius etiam infans mox perfectum dominium bonorum paternorum consequatur; seu verbo: an heres infans iam sit paterfamilias, an vero adhuc alieni iuris, ob vim & potestatem tutorum, cui subiicitur, *pr. Inst. de tutel?* Et verissima omnino sententia est, ius patrisfamilias, seu *sui aterni iuris*, non dependere ex libera bonorum administratione, sed ex libera acquisitione omnis commodi ex patrimonio, vel eius intuitu, provenientis: Ille enim paterfamil. est, cui soli in familia acquiritur, Dn. Hoppius *Comment. ad Inst. Princ. de his qui sui vel alien. iur.* Et hoc Apostolus Paulus ad sensum Romani Iuris optime expressit, quando ad *Gal. IV. 1.* dicit, quamdiu heres infans est, ipsum (cum tutorum arbitrio regatur) a seruo parum differre, quamvis sit *dominus omnium bonorum*, ubi vox *υἱος* non infantem tantum, sed & puerum denotat, vid. *I. Cor. XIII. 11.* ut ita ad annos impubertatis respexisse videatur. Quod etiam Grotius *de I. B. & P. l. 2. c. 3. §. 6.* tandem agnuit: quanquam in verbis *d. §.* initialibus neget de Iure Naturæ infantem dominum rerum esse posse: quod tamen falsum, sequeretur enim ex eo, neminem illarum rerum dominum esse, per consequens esse res communes: nam certe Tutori dominium tribuere non possumus.

## §. XXVIII.

## §. XXVIII.

Cum autem tutores & curatores sint admi- *De Fidei-*  
 nistratores bonorum pupillarium, *tot. tit. ff. de ad- tate admi-*  
*ministr. tut.* ita vt ad rationes reddendas obligentur, *nistrations.*  
 §. 7. *Inst. de Attil. tutor.* talesque in administratione,  
 se gerere debeant, vt omnis fraus & dolus abfit, *L. 7.*  
*C. arbitr. tutel.* nec segniter quid aut fraudulenter  
 expediatur, sed omnia ex fide peragantur, §. 5. *Inst.*  
*de suspect. tut.* & *L. 5. C. eod.* merito huc referendus  
 erit locus Apostoli *1. Cor. 1v. 2.* quod *fidelitas principia*  
*virtus administratoris sit.* Imo argumentum de ra-  
 tionibus reddendis, etiam illis, quibus administratio  
 ecclesie vel ministerium ecclesiasticum commissum,  
 applicat Apostolus *ad Ebr. xiii. 71.*

## CAPVT II.

De

## IVRE RERVM.

§. I.

**V**ra rerum auspicatur Im- *De acqui-*  
 perator solenni titulo de acquirendo re- *rendo re-*  
 rum dominio, de qua quidem materia *rum domi-*  
 vix quidquam apud Apostolum occur- *nio.*  
 rit, quod cum Iure nostro civili conferri  
 possit; interim obseruasse sufficit, nihil ipsum propo-  
 suisse, quod legitimis acquirendi modis resistat, potius  
 commendat omnibus, vt industria & labore manuum  
 sibi victum parent, qui enim laborare nolunt, illis nec  
 victus

victus debetur. 2. *Theff.* III. 10. Imo ipse Apostolus suis manibus sibi victum quæsiuit, 1. *Cor.* IV. 12. & 2. *Theff.* III. 8. erat enim *συννοστωρ*, *Act.* XVII. 3. Ita tamen laborem manuum commendat, non vt quæstu illo quis abutatur, sed vt habeat, quod erogare pauperibus possit, *Eph.* IV. 28. Absit itaque auaritia, absit delectatio cordis in rebus humanis, ita semper iuste acquirere & retinere dominia rerū possumus. Quamuis enim homo nullius rei dominus sit in respectu ad Deum, est tamen dominus rerum sibi a Deo concreditarum, respectu proximi. Inde illud assertum, quod suæ quisq; rei liber sit moderator & arbiter *L. 21. C. mand.* non valet respectu Dei, cui ad rationes reddendas obstricti sumus, sed tantum respectu hominum, qui nobis non præscribere possunt, quomodo res nostras administrare debeamus. Quibus ita probe distinctis nihil est quod ex doctrina Apostoli contra acquisitionem dominiorum adferri possit.

## §. II.

*De Eiectis  
tempore  
naufragii.*

Occurrit inter alia in fine *tit. de Rer. Diuis.* materia de rebus suborta tempestate maris, ad impediendum naufragium eiectis, de qua prolixius agitur in *tit. ff. ad L. Rbod. de iact.* hanc vero eiectionem, vt nauis cum vectoribus a periculo naufragii liberetur, illicitam non esse, suo exemplo comprobauit Apostolus, *Act.* XXVII. 19. vbi armamenta nauis, vti appellantur *L. 6. ff. ad L. Rbod. de iact.* eiecta sunt, licet eo ipso a naufragio se non liberauerint, sicut apparet ex eodem *Cap. XXVII. 41.* Quamuis enim & hic opponi posset illud, quod discipuli feminæ saluatorem vngenti obiciebant;

po-



potuisse has res feruari, & pecuniam inde redactam pauperibus distribui; *Matth. XXVI 9.* attamen non semper miracula a DEO expectanda, sed mediis legitimis, quibus periculum auerri possit, homini vtendum.

## §. III.

Ad præscriptiones & vsucapiones me confero, *De bona fide* ad quam bonam fidem exigi constat *ex pr. Inst. de vsu- de in vsucap. cap. & L. 8. C. de præscript. 30. ann.* Quæ bona fides iusta opinionibus, opinio est, qua quis credit, se esse dominum rei possessæ, *L. 109. de V. S. quod Pontifex in C. fin. X. de Præscript.* ad omnes præscriptiones extendit, & continuam bonam fidem vsque ad completam vsucapionem exigit, & expresse prouocat ad dictum illud Apostoli *Rom. XIV. v. ult.* quicquid non ex fide est, peccatum est. *Quam- An dubi-* vis ibi Apostolus in specie agat de illo, quod committi- *tans sit in* tur dubia conscientia; qui enim dubitanter agit, an *bona fide?* scil. quod agit, iustum sit vel non, peccato mortali semet exponit, *Andr. a Matre Dei. Theolog. Moral. Tr. 12. cap. 2. punct. 9. §. 2. n. 114. Molin. de Iust. & Iur. disp. 63. n. 8.* qui ipsi Autores indirecte deducunt dubitationem præcedentem, antequam quis rem emit, excludere bonam fidem; licet alii inter dubium theoreticum & practicum hic distinguere malint, *Azor. Institut. Moral. P. 3. lib. I. cap. 18. vers. in hac controuersia,* ad quod dubium practicum etiam respexit Apostolus; *Add. Covarruv. ad C. Possessor de R. l. in 6. P. 2. §. 7. n. 5.* Inde hoc fatendum est ius Romanum malam fidem superuenientem admittens, non ita conuenire doctrinæ Apostoli, quam ius Canonicum perpetuam bonam fidem exigens *d. Cap. fin.*

E

§. IV.

*De donatio-  
neremune-  
ratoria.*

Materiam donationis quod attinet, constat aliam donationem esse simplicem, aliam remuneratorem. Huius exemplum insigne, in donatione a discipulo præceptori facta, nobis exhibet Papinianus in *L. Aquilius 27. ff. de donat. vbi non meram donationem eam vocat, sed aliquo vinculo ad id obligatum esse discipulum; quæ causa est, quare donationem remuneratorem communiter ad contractus onerosos referant Dd. Alexand. l. 2. cons. 217. & l. 4. cons. 43. Ioann Garfias de Donat. remunerat. n. 5. Eodem prorsus modo liberalitatem erga Præceptores & Doctores commendat Apostolus Galat. VI. 6. volens, vt discipuli suis Doctoribus de omnibus bonis communicent. Et quanquam ibi de verbi diuini Doctoribus proprie loqui videatur, nontamen obest, quo minus ceteris applicari possit, nam & voce κατηχῆν vtitur, quæ generalis est, & omnem in bonis literis institutionem comprehendit: prout legum scientia instructum, κατηχόμενον ἐκ τῆ νόμου vocat, Rom. II. 18. Pariter phrasis ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς non saltem officia humanitatis, sed & alimenta & bona fortunæ complectitur, vt id agnouit Grotius; nam & verbum κοινωσῆν largitionem bonorum temporalium sæpe significat Rom. XII. 13. Phil. IV. 15. Hinc illud intendit Apostolus, vt, sicut docentes spiritualia, sic discentes temporalia communicent. Matth. Pothus *Synops. Crit. Sacr. Vol. V. add. l. Gal. VI. 6.**

§. V.

*De testam-  
entis.*

Sequitur dispositio testamentaria, quæ cum tanta

ta libertate Legibus XII. Tab. indulta ciuibus Romanis, vt vti quisque suæ rei legaffit, ita ius esset, *princ. Inst. ad L. Falcid.* quam testandi libertatem ampliauit Constantinus Imp. in *L. 1. C. de SS. Ecclief.* addendo: nihil esse, quod magis hominibus debeatur, quam vt supremæ voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod non redit, arbitrium. Dependet autem testamentorum vis ex momento mortis, antea enim, ob ambulatoriam hominis voluntatem, iuxta *L. 4. ff. de adim. legat.* mutationi obnoxia, *§. 1. Inst. de iust. nupt. & irrit. testam.* Agnouit hoc quoque Apostolus *ad Gal. III. 15.* vbi testamentis morte demum confirmatis auctoritatem adstruit, quamuis enim Grotius in *Not. Bibl. ad d. loc.* existimet *διαθήκη* ibi non significare testamentum, sed promissum aliquod, non tamen huc quadrant verba Apostoli sequenti, aquod tunc testamentum nemo spernat, si confirmatum sit, confirmatione enim non opus est in sponsonibus. Et expressius alibi loquitur Paulus in *Epist. ad Hebr. IX. 16.* quod vbi testamentum adest, mors accedere debeat, *§. v. 17.* testamentum per mortem confirmandum est, alioqui non valet, dum viuunt, *ὁ διαθήκεν* siue testator, de quo vid. Calou. in *Observat. ad Grot. præloqu. ad Nou. Test. §. 2. & seqq.* Add. Paul. Laymann. *Theol. Moral. Lib. 3. tract. 5. cap. 1. n. 1.* Ex quibus verbis simul colligo, testamenta licite condi, nemo enim prohibendus est, quo minus posteritati suæ prouida quadam dispositione consulat, vid. Laymann. *d. Tract. 5.*

cap. 3. n. 1. Andr, à Matre DEI, *Theol. Moral. Tract. 14.*  
*cap. 5. punct. 1. n. 1.*

## §. VI.

*Testamen-  
 tum posteri-  
 us tollit pri-  
 us.*

Tolli autem testamentum prius per posterius ob mutatam voluntatem satis abundeque constat, nec enim duo testamenta simul valere possunt, *L. 19. ff. de testam. milit.* quo argumento pariter aliquoties vitur Apostolus præsertim in *Epist. ad Hebr. Cap. VIII. i. seqq. & v. 13.* vt demonstrat, verus testamentum per nouum, seu legem per Euangelium esse sublatam. Sed a quo tempore expirauerit vetus, & confirmatum nouum testamentum, discussionis Theologicæ est, quam ad sacram cathedram remittimus.

## §. VII.

*Heredes vel  
 sui vel ex-  
 tranei*

Romani heredes distinguebant in suos & extraneos: Suis, quales erant filii vel nepotes in potestate constituti, & proximi gradu, ipso iure deferrebat hereditas, imo viuo quoque patre quodammodo domini bonorum existimabantur; §. 2. *Inst. de hered. qualit. & differ. L. 11. ff. de liber. & posthum.* Parentum enim & naturæ commune votum his liberis suffragabatur, *L. 7. ff. de bon. damnat.* vnde iure veteri Romano inuiti heredes erant, nec beneficio abstinenti gaudebant, nisi tandem permisso Prætoris, *L. 57. ff. de rer. acquir. hered.* Cum vero hoc ius necessariæ hereditatis, liberis in potestate constitutis competens, primitus ex legibus XII. Tab. descendat, Apostolus ex illo iure necessariam connexionem formasse videtur: *Εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι*; Si filii, ergo heredes, *Rom. VIII.*

VIII. 17. idem repetit Apostolus *Gal. IV. 7.* Quamuis, Grotius in *Not. Bibl. ad ad. textus* hoc descendere pueret ex iure Hebræorum, ubi filii necessarii heredes, non filia: Verum phrasin Paulinam Iuri Romano conuenientiore esse existimo, quia & ibi feminarum non æqua ratio habebatur, *princ. Inst. de hereditat. liber. vers. sed non ita de filiabus*, & credibile est, Paulum ad Romanos scribentem non argumento Romanis incognito, sed potius ipsis domestico, usum fuisse.

## §. VIII.

In successione ab intestato notissimi iuris est, distinguere solere liberos ex legitimo matrimonio natos a naturalibus, h. e. iis, qui ex concubitu geniti: hi enim cum liberis legitimis ad successionem non admittuntur, sed ab iisdem excluduntur penitus, *Nov. 89. c. 12. §. 6.* Conuenit hæc Iustiniani constitutio cum sententia Apostoli *Gal. IV. 30.* ubi: *ὁ υἱὸς μὴ ἀληθονομία ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης μετὰ τῆς υἱῆς ἐλευθείας*, h. e. non enim heres erit filius ancille cum filio libera. Id vero quanquam Grotius ex more Hebræorum explicet, ac strictissime tantum de liberis seruæ non cuiusuis concubinæ accipiat, quoniam illi tantum, non hi iure Hebræorum a successione excludebantur, Io. Seldenus *de Success. ad Leges Hebræor. c. 3.* dubium tamen hoc est propter textum *Gen. XXV. 6.* quo loco generaliter dicitur, Abrahamum filios concubinarum datis muneribus separasse ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret. Licet enim Apostolus magis ad locum *Gen. XXI. 10.* respexisse videatur, utpote quem ipsissimis verbis repetiit; cum tamen hic nulla reperiat<sup>r</sup> particula exclusiua, verosimile

simile est, etiam Hebræorum iam tum iure, filios naturales a successione exclusos fuisse. Insuper forte occasione donationis filiis naturalibus ab Abrahamo factæ, constituit ius nostrum, ut alimenta liberis naturalibus decernantur. *de Nov. 89.*

## §. IX.

*De obligati-  
one ex pa-  
cto.*

Iam transeundum ad contractus & pacta, de quibus quamvis quoad nomen vix quidquam generatim apud Paulum Apostolum occurat, attamen sicut ius nostrum fidem datam fallere nefas existimat, *L. 1. ff. de constit. pecun.* cum nihil tam congruum fidei humanæ sit, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare, *L. 1. pr. ff. de pact.* ita ipse Apostolus ad fidem promissionum sæpius prouocat præsertim respectu ipsius Dei, *Rom. IV. 2. 21.* utpote qui in eo, quod promittit, non mentitur, *ad Tit. I. 2.* Sunt enim promissiones Dei in ipso EST, & in ipso AMEN, *2. Cor. I. 20.* atqui vero decet Christianos etiam in promissis seruandis Deum imitari. Vnde quod quisque alteri ex promisso vel aliter debet, hoc prompte præstet, *Rom. XIII. 7.*

## §. X.

*De circum-  
uentione in  
uenditione.*

In materia emtionis & venditionis insignis iuris Romani textus est in *L. 16. ff. de minor.* vbi Vlpianus ex sententia Pomponii ait: In pretio emtionis & venditionis *naturaliter licere contrahentibus se circumvenire.* Hoc autem annon pugnet cum sententia Pauli *i. Thessal. IV. 6.* vbi expresse prohibet, ne in negotio quodam alterum circumueniat, dubiū est? Hanc ob causam multi in ea opinione fuerunt, iniquum hoc passu esse ius Romanum. Sed res salua est

est, si mentem & sententiam ICti recte cognouerimus. Nec enim laudat Pomponius illos, qui alios circumueniunt, sed dicit saltem *naturaliter licere*. At vox *naturaliter* non semper notat id, quod debet fieri, aut quod cum æquitate congruit, sed & quod recepti moris est. Nec *licere* significat fas esse, sed ita permitti, vt nullum contra proditum sit remedium, prout optime hunc ICti locum interpretentur Hugo Grot. *de I. B. & P. l. 2. c. 12. §. 26. n. 1. 2.* B. Pufendorf. *de I. N. & G. l. 5. c. 3. §. ult.* Dn. Osiander *ad loc. Grot.* Vt ita mens ICti sit, non quidem debere partes se circumuenire, si tamen fiat, & non in signis sit læsio, nō mōx concedendam esse alteri actionē, cum alias nulla tribuna- lia essent suffectura dirimendis litibus; maxime si læsio circa alterius dolum facta *L. 13. §. 4. ff. de in integrum restitut.* Re vera ergo non dissentit Apostolus. Quod autem ad ipsam Apostoli sententiam pertinet, patet ex supra dictis, nos illorum reiicere opinionem, qui cum Cornelio a Lapide, Caietano, aliisque, eum locum de vitando adulterio intelligunt, quos optime confutauit Calouius *in Comment. ad d. l.*

## §. XI.

Ex contractibus specialibus ad nostrum pro- *De Contra-*  
positum pertinet, quod in *L. Miles 31. C. locat.* solenni- *libys mili-*  
ter militibus interdictum, ne sint alienarum rerum *tum.*  
conductores, aut conductorum procuratores, seu  
fideiussores; ne omisso armorum vsu ad opus rure-  
stre, se conferant; armis enim, nō priuatis negotiis, oc-  
cupari debent milites, ob quam causam etiam ipsi  
ius ignorare permiffum, *L. 1. C. de iur. & fact. ignor.*  
Ge-

Gemina his sunt, quæ habet Apostolus 2. *Tim. II. 4.* quod nemo militans se immiscere debeat *ταῖς ἑβραϊστικαῖς*: Si enim vulgaribus oeconomix studiis miles se implicaret, sine dubio respubl. damnum sentiret. Pertinet huc *L. milites, 15. C. de re milit.* vbi hæc concepta habentur verba: *Milites qui a republ. armanantur & aluntur, solis debent vtilitatibus publicis occupari, nec agrorum cultui, & custodia animalium, vel mercimoniorum questui, sed propriae munis insudare militia.* Add. *Grot. not. Bibl. ad hunc loc.* Equidem concedim9 Apostolum. I. non agere de de milite seculari, sed de spiritali, ast simile tamen ex ratione militis secularis, & principiis iuris humani desumptum est.

## §. XII.

De litteris  
commendatiis,

De litteris commendatiis in iure nostro disputari solet, an inde actio aduersus mandantem nascatur? Respondet ad hoc Ictus Vlpianus in *L. 12. §. 12. ff. mandata.* sequentibus verbis: *cum quidam talem epistolam scripsisset amico suo: rogo te, commendatum habeas Sextilium Crescentem, amicum meum, non obligabitur mandati, quia commendandi magis hominis, quam mandandi causa scripta est.* Plerique Interpp. distinguunt hic inter commendationem generalem & specialem, de illa intelligendum esse Vlpianum dicunt, non de hac, vid. *Carpz. P. 2. Decis. 226. n. 10. & sqq. Finckelth. Observ. 16. n. 5.* Harum litterarum commendatiarum, vim mandati habentium, solenne exemplum occurrit in *Epist. ad Philem. v. 17. & 18.* vbi Apostolus Onesimum ita commendat, vt simul fidem pro ipso interponat, dum vt sibi imputet, quod Onesimus debet, Philemone in

§. XIII.



## §. XIII.

Occurrit hic porro exemplum debiti alieni ab altero recepti, quod solemni illa formula expressit Apostolus: *Ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam.* Grotius in *Not. Bibl. ad hunc loc.* præsentem Pauli contractum ad constitutum refert: verbum enim *ἐγὼ ἀποτόρω* satis faciunt tibi in materia constituti occurrit, in *Nov. us. cap. 6. &* similis formula extat in *L. Eum quis. §. Iulianus 3. ff. de constit. pecun.* *Scripsi secundum mandatum Seii, si quid tibi debitum approbatum erit, me tibi cauturum & soluturum sine controuersa;* et cum Onesimus seruus fuerit, ille vero non ciuilitate, sed tantum naturaliter obligari potuerit, constitutum vero subsistat, etiam si naturalis obligatio tantum præcedat, eapropter & Pauli promissionem huc refert. Equidem si contextum & intentionem Pauli respiciamus, ipse Onesimum omni obligatione liberatum & debitum plane in se translatum voluisse videtur, vt inde magis *expromissoris*, quam *constituentis* partes expleuisse densus sit Apostolus. Verum cum expromissio per stipulationem iure Romano expedienda, hæc vero per litteras fieri non possit, *L. 14. C. de Contr. stip.* merito ad constitutum hæc Pauli obligatio referenda *L. 13. ff. de Const. pec.*

## §. XIV.

Ceterum circa hanc obligationem Paulinam quid obseruatum dignum sit, verbis conceptis Scip. Gentilis *Comment. Ep. ad Pbilem. §. 50. in fin.* huc referam, *Singularia constituti Paulini.*

F

quæ

quæ ita se habent: In hoc Pauli constituto multa sunt, quæ interpretatione nostra indigent, neque ab aliis sine cognitione Iuris civilis vltro modo intelligi possunt. Igitur hæc de eo exponam: Primum, quod constituit Paulus ex obligatione conditionali: Deinde, quod ex delicto descendente: Tertio, quod ex obligatione & debitione duntaxat naturali, qualis sola inter dominum & seruum contrahi potest: Quarto, quod per epistolam: Quinto, quod Paulus egenus & captiuus. Postremo formula ipsa explicabitur, ut ante dixi, pulcherrima & absolutissima, quæ nec peritissimus Ictus meliorem ediderit, licet tantum sciat, quantum Seruius & Labio. Ad singula paucis ex iure ita respondemus. (1) Valet constitutum conditionale, sed eius effectus sub eadem conditione suspenditur; hinc deficiente conditione actio cessat, *L. 19. pr. ff. de Constit. pecun. iunct. L. 122. §. 4. ff. de Verb. Oblig.* (2) Debitum etiam ex delicto constitui potest, nisi casus sit, cui Ius prætorium resistat, *L. 3. §. 1. ff. de const. pec.* (3) Debitum naturale tantum æque constitui potest, quam illud, quod iure naturæ & civili debetur, *L. 1. §. 7. d. t.* (4) Constitutum nudo consensu constat, hinc etiam inter absentes per nuncium vel epistolam expediri poterit, *L. 14. §. fin. ff. d. t.* exemplum constituti per epistolam facti refert Marcellus in *L. 24. ff. cod.* (5) Etiam egenus & captiuus potestatem constituendi habet; quibus enim facultas paciscendi indulta, illis etiam constituendi potestas non deneganda, arg. *L. 1. pr. ff. d. t.* De captiuo tantum resistebat, quod seruorum numero adscribatur, indeque civilis obligationis capax non sit; verum non ab hoste captus fuit

Apo-

Apostolus, sed ex prætenso delicto detentus, cui ius contrahendi nondum adertum.

## §. XV.

Ad subscriptionem constitutoria obligationis *De Subscri-*  
*Ego Paulus scripsi τῆ ἐμῆ χειρὶ, manu mea, referendæ priore Oblig-*  
 sunt hodiernæ subscriptiones obligationum, quan- *gationum.*  
 do subscribens nomini suo subiicit *manu propria.*

Quod alii rectius fieri existimant, si scribatur *manu*  
*mea.* Verum utriusque dictionis exempla extant  
 in Iure. Sic scripturæ manu propria factæ memi-  
 nit Imp. in *Princ. Inst. de emt. & vendit.* ibi: *manu pro-*  
*pria contrahentium* L. 28. §. 1. *C. de testam.* L. 16. *C. de fid.*  
*instrum.* L. ult. *C. de conuen. fisc. debit.* de scriptura sua  
 manu adest L. 21. *pr. C. de testam.* Hoc certum, in Dige-  
 stis expressionem manus propriae non occurrere. Il-  
 lud obiter noramus, superiori seculo a multis Princi-  
 pibus Imp. receptum fuisse, nominis expressionem  
 ommittere, & in fine rescriptorum vel confirmatio-  
 num hoc saltem subiicere: *Manu propria.* Quod in  
 aula Brandenburgica frequentissime factum esse,  
 ex variis documentis constat. Quid vero alias A-  
 postolus illa expressione suæ manus indigitatum vo-  
 luerit, fustus explicauit Scipio Gentil. *ad Philem.* §. 56.  
 in Bibliis Criticis.

## §. XVI.

Contractus chirographarii mentionem facit *De Contra-*  
 Apostolus ad *Coloss. II. v. 14.* vbi Christum deleuisse *est* chiro-  
 graphum nobis obtans dicit; quo ipso obliga- *graphario.*  
 tionem ex chirographo agnoscit, sicut & hac ratio-  
 ne se ipsum obligauit in sua ad Philemonem Episto-  
 la,

la, de quo actum in §. præcedenti. Qua occasione illud non prætereundum, praxin illam Saxoniam, quod ex chirographo seu instrumento guarentigiato executivæ agi possit, de quo Colerus *Tr. de Processu Execut.* antiquissimam esse, cuius exemplum clarissimum extat in historia Tobæ *II. 21. & V. 3.* vbi chirographo ostenso solutio mox facienda.

## §. XVII.

*De Obligatione ex delicto.*

Sequitur obligatio ex delictis, quæ an ex sola re, an etiam ex consensu delinquentis nascatur, non conveniunt Interpp. Ex re obligationem esse dicit *Imp. pr. Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc.* Verum si hoc simpliciter admitteretur, eodem nexu ex delicto teneretur furiosus & infans, arg. *L. furiosus 46. ff. de oblig. & act.* quod tamen ita non esse, apparet ex *L. Divus Marcus 14. ff. de Offic. pref.* Quapropter omnino, vti dolus in delinquente exigitur, ita quoque eo ipso, dum dolose delinquit, consensus eius concurrat, necessum est; Dum enim consensit in antecedens, non censetur dissentire quoad necessarium consequens. Pertinet huc locus Apostoli ad *Tit. III. 11.* vbi dicit: *ὁς ἀμαρτάνῃ, ἢ ἀνομιάνῃ*, h. e. delinquens sua ipsius sententia, condemnatur: Cuius sine dubio hæc ratio, quod sciat, hanc sibi pœnam imminere. Ad quod privata conscientia iudicium referri meretur alius Apostoli locus *Rom. II. 5.* vbi: ipsæ hominum cogitationes se accusant & defendunt, & hinc quoque condemnant.

## §. XVIII.

*Nemo membrorum suorum dominus.*

Neminem membrorum suorum dominum esse, ex Iure Romano constat *L. Liber homo 37. pr. ff. ad L. Aquil.*

*quil.* Huc respexisse videtur Apostolus *Gal. IV. 15.* dum ad impossibilia refert, oculos eruere & aliis dare. Sane membrum membro carere nequit *1. Corinb. XII. 15.* Vbi in sequentibus coniunctionem membrorum pluribus ostendit Apostolus. Ex his tamen non concludendum, plane omnem potestatem circa corpus adentam homini esse: Ita enim dubium non est, licere, *An pro tu-  
pro tuenda vita, membrum abscindere, ita etiam, si quis enda vita  
ruri agens, ab aspide morsus, vel captius & manu vin- membrum  
ctus fuerit, manum amputare, vel qui in turri inclu- abscindere  
sus, de muro defilire, etiamsi ipsi crura frangenda es- liceat?*  
sent, potest, si hoc omisso mors ipsi immineat Gregor. de Valentia *T. 3. Disp. 5. qu. 9.* Enriquez in *summa l. 14. c. 8. §. 4.* Petrus Nauarra *lib. 2. de Restit. c. 3. n. 97.* Dom. a Soto *de I. & I. lib. 5. qu. 6. art. 4.* Balthaf. Gomez. de Ame- scua *Tr. de potestate in se ipsum l. 1. Cap. 11.* De quibus casibus Apostolum locutum non esse manifestum est. Imo & dici potest, hoc iuris hominem non habere vi dominii, sed vi obligationis, qua ad vitæ suæ conseruationem tenetur: quæ obligatio nusquam in sacra scriptura sublata. Imo ipse Apostolus suo exemplo *Defensio sui  
probavit, ita in his terris officium ab hominibus expe- licita & iu-  
diendum esse, ne quis propriæ vitæ suæ conseruatio- sia*  
nem negligat, sed eam potius iusto modo defendat. Ita Damasci cum eum persequerentur Iudæi, per muros sedimitti patitur *Act. IX. 25. add. v. 30. d. c. & Act. XIV. 5. XVII. 10.* Imo cum Hierosolymæ Iudæi coniurationem inirent contra Paulum, vt eum occiderent, non modo id Lyfiæ Tribuno summo notum faciebat, sed & præsidium militum ducentorum aduersus vim

intentatam recipiebat absque vlla contradictione, *Act. XXIII. 12. sqq.* Et recte, nam iure hoc euenit, vt quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur, vti sententia Florentini Icti in *L. 3. ff. de I. & I.* se habet, menti Apostoli admodum conformis.

## §. XIX.

*De Ratihabitione in delictis*

In delictis ratihabitionem æquiparari mandato, apparet *ex L. 1. §. 14. ff. de vi amat.* probando enim delictum, ipse delicti se reum reddit, quod tamen non sine restrictione admittendum; de quo vid. Dn. Herold. *Tract. de Ratificat. memb. 2. Rubr. de Obligat. ex delict. n. 7.* Ob quam causam etiam is, qui male facientem laudat, delicti se participem facit, quia non oportet laudando augere malitiam, *L. 1. §. 4. ff. de serv. corrupt.* Eadem ratione etiam Apostolus pari reatu illos censet dignos, non tantum qui mala faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus *συνευδοντες τοις περασασιν* seu, qui complacentiam quandam ex facto testantur, *Rom. I. 32.* Pertinet huc insignis locus Philonis *Libr. de Legibus, Ep. 21. Non est immunitis a scelere, qui vt fieret, imperauit: nec est alienus a crimine, cuius consensu, licet a se non admissum, crimen tamen publice legitur, Conf. Grotius in Not. Bibl. ad hunc loc.* Referrī huc posset delectatio illa morosa, quo nomine Moralistæ complacentiam ex cogitationibus oriundam, sine tamen voluntate exequendi, designant, de qua prolixè egit Stephan. Fagundez *de Iust. & Iur. Tom. 2. lib. 9. cap. 1.* Azor. *Instit. Moral. Tom. I. Lib. 4. cap. 6.*

## §. XX.

*De Sodomia.*

Inter specialia delicta se sistit Sodomia, quam Le-

leges nostras Iuri naturæ contrariam reputare, constat; nefanda enim libido dicitur, §. 4. *Inst. de publ. iudic.* & scelus tantæ turpitudinis, quod ne quidem proficit scire, *L. Cum vir nubet. 31. C. ad L. Iul. de adult.* Et in *Nov. 141. c. 1.* Iustinianus, tam impium hoc crimen esse, dicit, vt ne in brutis quidem animantibus reperire liceat. Clarius adhuc exprimit hoc Apostolus *Rom. I. v. 17.* (ad quem locum Imp. d. *Nov. prouocat*) Vbi verbis, *relieto naturali usu feminarum*, satis innuit, contra naturam esse omnes alios coitus venereos, siue cum homine, siue cum bestia initos, quod ea propter abominationi Deo esse dicitur, *Levit. XVIII. 23.* & in vtroque delinquente scelus hoc morte piandum, adeo, vt & bestia, cum quibus Sodomia commissa, occidendæ sint, *Levit. XX. 15. & 16.* Conf. locus Augustini in *Can. mulier. caus. 15. qu. 1.* vbi ratio redditur, ne bestia indignam refricent facti memoriam, de quo pluribus vid. *Carpz. Prax. Crimin. qu. 76. n. 33.* Conf. *LL. Wisigoth. lib. 3. tit. 5. L. fin.* Et quid magis dicat ratio æquitatis, quam vt detestanda hæc libido, quæ omni prorsus Iuri contraria est, morte puniatur? Sane ipsas gentes ab hoc scelere abhorruisse, & eius criminis reos morte puniuisse, patet ex antiquissima Lege Scantinia, cuius meminit Iuuenalis *Sat. 2.* Pomponius Lætus in *Lib. de Rom. Leg.* qua seuerissime animaduerebatur in pædicatores, quos Cræci *πρωϊστας* vocant. Hinc postea successit Lex Iulia, vti luce meridiana clarius sit, ipsos ethnicos ab hoc nefando crimine abhorruisse, vid. *Damhoud. pr. Crim. c. 96. n. 21.*

*De incestu.*

Incestum quoque cum nouerca commissum capite puniendum voluit diuinus LLator, *Leuit. XX. 11.* nam & hoc iuri naturæ refragatur, illi semet iungere, cum qua pater in vnitatem carnis transit. Iure ciuili incestus eadem pœna est, quæ adulterii *L. Si adulterium cum incestu 38. pr. ff. ad L. Iul. de adult. hinc cum adulterii pœna capitalis sit, etiam incestus capite puniendus est, arg. L. Quamuis 30. C. ad L. Iul. de adult. Nov. 134. cap. 10. Carpz. Pr. Crim. qu. 72. n. 5. nec inter affines, qui parentum liberorumue obtinent locum, iure nostro aliud obtinere puto, licet moribus pœna fustigationis locum saltem inueniat, Carpz. Prax. Crim. qu. 74. n. 9. & sqq.* Ipse Apostolus hunc incestum cum nouerca commissum gentibus ignorantum esse dicit, *1. Cor. V. 1.* ex quo etiam iuri naturæ incestum aduersari colligo, quamuis maior fœditas sit, si veri parentes & liberi inter se commisceantur. Vnde hic grauius supplicium moribus nostris obtinet. conf. Hug. Grot. *de I. B. & P. l. 2. c. 5. §. 12.* B. Puffend. *de I. N. & Gent. l. 6. cap. 1. §. 32.*

## CAPVT III.

De

IVRE ACTIONVM FOR-  
RENSIVM.

§. I.



## §. I.



**Eminem quidem inuitum** *An agere in iudicio liceat?*

ad agendum vel accusandum compellit  
 lus nostrum, tot Tit. Cod. ut nem. inuit. ag.  
 vel accus. ten. attamen nemini negat  
 facultatem ius suum in iudicio perfe-  
 quendi; hoc enim sine introductæ sunt actiones;  
 princ. Inst. de action. § L. Ext at 13. ff. quod met. caus. unde  
 iniquitatis non est inculandus, qui res suas ab alio de-  
 tentas legitima iuris via persequitur. Aliud quidem  
 assertum videtur ab Apostolo 1. Cor. VI. 7. ubi inter de-  
 defectus ecclesiæ Corinthiæ refert, quod iudicio inui-  
 cem experiantur, & non potius iniurias patienti ani-  
 mo ferant. Imo ad Tit. III. 2. expresse litigare prohi-  
 bet. Verum non mox inter crimina refert Apostolus  
 coram iudice litigare, sed potius commendat ipsis  
 abstinentiam a litigiis, inde non dicit, esse hoc *παρά-  
 πνοια* sed *ἡτισηα*, quod Grotius ad illum locum expli-  
 cat, minus aliquid summo. Sane iudicia Deus ipse  
 constituit, Deut. XVI. 18. & necessitas humana non  
 alio remedio, quam auctoritate iudiciali occurrere  
 aliorum malitiæ poterit. Si enim a repetendis re-  
 bus suis alieni forent Christiani, omnia ipsorum bona  
 inuaderent maleferiati, & prædam ex aliorum pro-  
 bitate caperent. Imo Apostolus sæpe ad magistra-  
 tum ablegat Christianos, dum eos Rom. XIII. legibus  
 magistratus ciuilibus subiicit. Quin & coram magistra-  
 tu ciuili propriam causam strenue ventilauit. Locus  
 vero ad Tit. III. 2. nobis minime obstat, cum græca vox

G

ma-

magis rixosum quam litigantem significet, vt Valla testatur *ad istum loc.* Deinde aliud est non debere esse litigiosum, & aliud non debere litigare. Modo absit omnis iracundia, & vexandi libido, quæ vt plurimum est in hodiernis processibus diuturnis, quos nec ipsum approbat ius Romanum, vtpote quo prohibentur lites ultra triennium extendi, ne plane immortales fiant *L. 13. C. de Iudic.* Interim consilium illud, quod Corinthiis hic dedit Apostolus, Iuri nostro non ignotum, sed pariter laudatum & approbatum, quando in *L. 4. §. 1. ff. de alienat. iud. mut. caus.* in hæc verba erumpit Ulpianus: *non eius factum improbat Prætor, qui tanti habuit re carere, ne propter eam sæpius litigaret; Hæc enim verecunda cogitatio eius, qui lites execratur, non est vituperanda.*

## §. II.

*De Arbitris.*

Ceterum, quod in eodem loco *1. Corinth. VI. 5.* Apostolus suadet, vt lite suborta aliquis ex fratribus eligatur, qui illam dirimat, hoc iuri nostro non refragatur, sed eadem libertas relicta ciuibus est, omisso iudice arbitrum eligere, & coram eo sine strepitu forensi, amico more, lites subortas componere, quod in omnibus causis priuatorum permissum esse, apparet ex *Tit. ff. & Cod. de receptis arbitr.* & optandum, vt frequentius ad hoc diuini humanique iuris remedium recurreretur; Sic enim lites illæ immortales, & vitæ humanæ terminum fere excedentes, de quibus iam suo tempore conquestus est Iustinianus in *d. L. 13. C. de iudic.* facile præcaueri possent.

## §. III.

## §. III.

Non pratereundus est locus Apostoli *1. Tim. II. Femina non*  
*12.* vbi prohibet, ne feminæ publice doceant *γυναὶ ποτεσσε*  
*κὶ δὲ διδάσκειν ἐν ἐπιτέσει* *conf. 1. Cor. XIV. 34.* quo ipso *potest esse*  
*iudex.*  
 satis sufficienterque innuit, non debere feminas vel  
 ad iudicis, vel ad aliud officium, in quo doctrina opus  
 est, admoueri. Idem expressit Vlpianus *in L. 2. ff. de*  
*R. I.* feminæ ab omnibus officiis ciuilibus vel publicis  
 remotæ sunt: & ideo nec iudices esse possunt, nec ma-  
 gistratum gerere, nec postulare, nec procuratores  
 existere. Cui non obest, quod Apostolus videatur  
 magis loqui de officio sacerdotum, nam generaliter  
 loquitur, & vox *διδάσκειν* illam restrictionem non ad-  
 mittit.

## §. IV.

An officium publicum ambire sine crimine am- *An officium*  
 bitus liceat, solliciti sunt. Certe non esse eandem ho- *iudicis pe-*  
 die ac olim rerum faciem, patet ex *L. 1. ff. de L. Iul. iure liceat.*  
*ambitus*, vbi adiecta ratio est, quia ad curam Principis  
 magistratuum creatio pertinet, non ad populi fauo-  
 rem: Hinc facilius hodie excusatur, qui etiam dato pre-  
 tium munus aliquod affectat, maxime si aliquid derur  
 non ad consequendum officium, sed ad Principi  
 commendandum vid. Tiber. Decianus *Prax. Crim.*  
*l. 8. c. 26. n. 4.* Gudelinus *de iur. nou. l. 5. c. 6. n. 13.*  
*conf. Tabor. Tract. de Suffrag.* Ex quo apparet, mul-  
 to magis absque pretio dato licere offerre se ipsum  
 & officium aliquod expetere, quod haud obscure  
 adfruit Apostolus *1. Tim. III. 1.* vbi optimum opus  
 eum desiderare dicit, qui Episcopatum expetit. Quan-  
 G 2 quam

quam etiam Augustinus *de Ciu. Dei. l. 19. c. 19.* hoc ita explicet, quod dicto loco Apostolus saltem exponere voluerit, quam egregia res sit Episcopatus: non tamen apparet, Apostolum damnasse hoc desiderium. Hinc Moralistæ existimant, tum demum Episcopatum s. munus ecclesiasticum peti posse, cum manifesta necessitas imminet & alius idoneus ad officium non reperitur. Azorius *Instit. moral. P. 2. l. 3. c. 28. qu. 2.* verum hunc casum adeo extraordinarium esse, vt cogitari vix possit, bene cum Suario statuit Gabriel Alvarez de Velasco *Tr de iudice perfecto rubr. 1. annotat. 3. n. 6. vbi n. 7.* subiicit: absque vilo peccato posse dignum appetere Episcopatum, si principaliter appetat, vt profit, licet minus principaliter, ob honorem & fructus eius; quæ vltima tamen verba non possumus approbare. Constat igitur, licite etiam Iudicis officium expeti posse; nam & Episcopus Iudex ecclesiasticus est.

## §. V.

*De Officio  
Procuratoris  
Cæsaris.*

Sufficiant hæc de persona iudicis, sequitur vt de officio etiam eius paulisper agamus. Et quidem diuersa fuisse iudicum Romanorum officia ex fine libri I. Digestorum constat. Nos hic de Procuratoribus Cæsaris, cum quibus rem potissimum habebat Paulus *Act. XXIV. seqq.* paucissima tantum adnotabimus. Fuisse enim Felicem, Festum, & reliquos, qui Græce ἡγεμόνα latine Præsides vocantur, proprie Procuratores Cæsaris, docet Grotius *in Comment. Bibl. ad Matth. XXVII. 2.* cum voce Præsidis omnes prouincias regentes appellari soleant *L. 1. ff. de Officio Præs.* Hinc com-

commode in idiomate germanico exprimitur, per *Randpfleger* / quasi qui nomine cæsaris provinciam tuetur, administrat, procurat. Coram Pontio Festo itaque, Procuratore Cæsaris, cum causam suam tueretur Apostolus, & ab eo, an Hierosolymæ coram Synedrio iudicari vellet, interrogaretur, respondit Paulus notanter: *Ἐπὶ τῷ Καίσαρος κλισίῳ εἵλωσ ἐμῆς*. Atque ita tribunal Cæsaris vocabat iudicium Pontii Festi. Et recte, cum nomine Cæsaris omnia peragerent Procuratores illi. Idem autem, quod Apostolus sibi assererat, Vlpianus confirmat in *L. 1. pr. ff. de Officio Procuratoris Cæsaris*, ubi hæc verba habet: *Quæ acta gesta que sunt a Procuratore Cæsaris, sic ab eo comprobantur, atque si a Cæsare gesta sint.* Hinc Iudicium Procuratorum Cæsaris, recte ipsius Cæsaris tribunal vocavit Apostolus.

## §. VI.

Porro circa officium Iudicis obseruanda generalis regula, malitiis indulgendum non esse *L. 38. ff. de endi e Rep. R. V.* inde, ne exemplo aliis noceant maleferiati, & peccandi impunitatem sibi promittant, si se non in iudicium vocari videant, congruit bono & graui præsidii curare, ut pacata & quieta provincia sit, quam regit, quod non difficile obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat: nam & sacrilegos, latrones, plagiatarios, fures, conquirere debet, & prout quisque deliquerit, in eum animaduertere, sicuti optime respondit Vlpianus in *L. Congruit 13. ff. de offic. Pres.* cum quo omnino conuenit illud Apostoli *1. Cor. V. v. fin.* ubi ut malos a se, proprio motu, remoueant, & ex suo consortio expellant, Corinthiis iniungit.

*Nihil  
ex favore  
vel iracun-  
dia facere  
debet.*

Porro cum nihil ex favore faciendum velit Apostolus 1. Tim. V. 21. ac ob omni acerbitate & iracundia immunes cupiat Christianos, *Eph. IV. 31.* & si alicui necessitas officii irascendi occasionem det, huic tamen affectui frenum iniciendum, ne degeneret in peccatum *Eph. IV. 26.* ita hæc omnia Iudicibus quam maxime commendata esse debent, quem in finem recte respondit Callistratus in *L. 19. §. 1. ff. de Offic. Pref.* quando dicit: *Iudex in cognoscendo neque excandescere aduersus eos, quos malos putat, neque precibus calamitosorum illacrymari oportet, idem non est constantis & recti iudicis, cuius animi motus vultus detigit, & summatim ita reddat, ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat.* Add. Gabr. Alvarez de Velasco *Tr. de iudice perfecto Rubric. 10. 11. & 12.*

## §. VIII.

*An cautelis  
in iudicio  
vri liceat?*

An cautelis in iudicio vtilicium sit, varie disputari solet a Iuris interpretibus? Sane cauillationes nomine cautelarum hic non intelligimus, quando per fraudem & frustrationem alios litibus vexant, *L. Si caluitor 233. pr. ff. de V. S.* cuius modi media, etiam in iusta causa adhibita omnino improbamus: Non enim ferendæ sunt captiosæ cautelæ in præiudicium alterius interpositæ, *Gail. de Arrest. cap. 2. in fin.* & inde Cicero cum in *Orat. pro A. Cecinna, § 38.* Æquillii prudentiam Populo Romano commendatam diceret, illam in cauendo, non in decipiendo, perspectam esse, asserit. Quando itaque Apostolus 2. Cor. XII. 16. di-

dicit: *ἄλλ' ὑπάρχων παρέρχῃ*, δόλω ὑμᾶς ἔλαβον, *quia versatus eram, dolo vos cepi*; cautelarum vsum expresse approbasse videtur; ad quem locum Pauli prouocat Hillig. in Don. lib. 41. c. 40. lit. c. Petr. Gregor. Tholof. *Syntagm. Iur. lib. 41. c. 13. n. 2.* nec enim ad rem bonam, cum aliqua prudenti persuasione & simulatione, modo non in mendacium degeneret, aliquem inducere, crimen est. Et hinc dolum hunc bonum Icti Romani agnouerunt, *L. 1. §. 2. & 3. ff. de dol. mal.* Dolus enim desinit esse malus, si animus fraudandi deficiat *L. 19. §. 3. ff. de negot. gest.* vel alterius fraudem quis excludere cupiat, *L. 77. §. 31. in fin. ff. de legat. 2.* cuius doli boni varias species recenset Hillig. *d. l.* Ceterum plerique interpretum existimant, Apostolum loco iam alleg. non suam sententiam exprimere, sed ex aduersariorum opinione sibi illa opponere, vid. Polus *Sinops. Critic. ad II. Cor. 12. 16.* Nihil tamen iniqui continet illa Pauli sententia, si ratione iam dicta explicetur. Et conuenit huic locus apud Ciceronem *Tusculan. quest. Lib. 4. §. 13.* vbi dicit: *Declinationem mali, si cum ratione fiat, dici cautionem, eamque intelligi esse in solo sapiente.* Absint itaque fraudes, absint machinationes in damnum alterius tendentes, alioquin hic sibi locum vindicabit illud, quod ex visione quadam sibi compertum esse dicit Angel. Aretin. *ad L. verba 1. C. de fals. caus.* Dynum ob cautelaræ cuiusdam vsum ad inferos damnatum esse.

## §. IX

Iudici de facto procedenti de facto resisti posse, *Iudici de apud facto proce.*

denti resisti  
potest.

apud Iuris interpretes recepta decisio est. Iudex enim de facto & sine causa rei procedens induit personam privati Menoch. *remed. 8. recup. poss. n. 9.* Sixtinus *Vol. 2. Consil. Marburg. 10. n. 108.* Vnde ignoscendum ei, qui iudici tali casu obloquitur, cum etiam actionem iniuriarum contra ipsum concedat ius nostrum. *L. nec magistratibus 32. ff. de iniuriis.* Iniquissimum enim est, inde iniuriarum occasionem nasci, vnde iura nasci debent, sicuti grauiter monuerunt Impp. in *L. meminuerint. 6. C. vnde vi.* Hinc non vitio vertendum fuit Apostolo, quod in iudicio a lapidis exceptus replicauerit: *Percutiet te DEUS, paries dealbate; & tu sedes iudicare me secundum legem, & contra legem iubes me percuti. Act. XXIII. 2.* Nullus enim iudex magis de facto procedit, aut iniuriam infert, quam ille, qui cum causam prudenti arbitrio cognoscere deberet, boni viri arbitrium egreditur, & verberibus reum nec confessum nec conuictum excipit. Obseruandum tamen hic, Paulum non mala precatum esse illi iudici, sed spiritu Prophetico prædixisse, quid ob iniuriam sibi illatam, ex iusto DEI iudicio, ipsi expectandum sit. Vnde *τύπτειν σε μέλλει ὁ θεός* per Futurum recte vertitur, *percutiet te DEUS, non percutiat.* Sed valde obstat, quod ipse Paulus agnouerit, se talibus verbis peccasse, & inde ad *παλιωδίας* præsidium confugerit *d. c. Act. XXIII. v. 5.* Ad hæc Erasmus respondet in *Comment. Act. d. c. XXIII. 3.* dicens: *Equidem non nego, Paulum non caruisse prorsus humanis affectibus, cum ipse meminisset de stimulo carnis & constet inter Barnabam & ipsum, nempe duos optimos viros, dissidium aliquod extitisse Ceterum*

hoc



*boc loco consentaneum est, Paulum non ignorasse summum sacerdotem, nec tamen illi male precatum hoc animo, quo vulgus irritatum solet, sed Apostolico Spiritu excanduisse aduersus eum, qui cum optimi viri teneret locum, ne speciem quidem equitatis praeberet, quam praestabant etiam ethnici. Sic Petrus incanduit aduersus Ananiam & Sapphiram; sic hic ipse Paulus aduersus Elymam magum. Quia igitur est quod excusat se, Nesciebam quod esset Pontifex? Nimirum cessit tumultui, & se ignorasse Pontificem dicit, qui se non Pontificem, sed tyrannum re declarabat. Itaque gemino nomine concedit turbe: Primum agnoscens esse Pontificem, qui re ipsa non erat, nisi paries dealbatus; deinde conuitium esse non negat, quod illis videbatur conuitium, cum non esset conuitium, sed libera obiurgatio.*

## §. X.

Iniurias illatas iudicialibus actionibus vindicari posse, ex iure nostro satis constat *t. t. ff. de iniuriis.* Verum an Christiano homini conueniat, iniuriarum experiri, extra controuersiam non est. Communiter prouocari solet ad vulgatum illud: Fama & vita pari passu ambulant, quod Apostolus ipse probasse videtur *1. Cor. IX. 15.* Idem *Iure Canonico*, probant *C. An fama & non sunt audiendi c. 11. qu. 3.* ex quo textu illum crudelem esse dicunt, qui famam negligit. Ius Romanum eandem comparationem admittit *L. 9. pr. ff. de manum. vind. L. 8. §. 2. ff. quod metus causa.* Resistit vero huic sententiae, quod in priuati potestate non sit famam alicuius imminuere, vnde nec libelli famosi famae alicuius quicquam detrahere possunt, *L. un. C.*

*An Christiano Actionem iniuriarum instituere liceat?*

*An fama & vita pari passu ambulet?*

H de

*defam. lib.* Per compendium ita dicimus: Aut iniuria speciale quoddam crimen continet, cuius exprobratio aliquem in suspicionem sceleris deducere posset, & hæc æque vindicanda, quam si periculum vitæ immineat, aut crimen non continet, sed simplicem tantum traductionem vel contumeliam, & hanc sperni debere, pietas exigit. Quod vero ipsam actionem iniuriarum attinet, iterum interest, an ad vindictam agat quisquam, quorsum regulariter tendit *Actio iniuriarum L. 15. §. 46. ff. de iniur. L. 2. §. 4. ff. de collat. bon.* An vero criminaliter iniurias persequatur, vt iniurians per pœnam ad frugem reducatur & innocentia iniuriati defendatur. Posteriori casu actionem iniuriarum iustam esse, non dubito. Placet hac de re sententia Bachouii in *Comment. ad §. fin. Inst. n. 2.* asserentis: *vix ullam satis iustam causam esse Christiano agendi iniuriarum, nisi vbi hoc fieri publice quodammodo interest, vel in exemplum, vt alii ab huiusmodi petulantia absterreantur, vel ob personam eius, qui iniuria est affectus, veluti si publicum officium administraret, quem ab iniuriis immunem & integra fama haberi publice interest, ne contemptui exponatur & administrando muneri suo minus idoneus reddatur, quod & latius porrigi potest, si forte ex consuetudine indignus officiis publicis habeatur, qui iniurias non vindicat.* Existimo eandem Pauli sententiam fuisse, quando *Rom. XIII. 4.* magistratum vlcisci debere delicta asserit. Sed quomodo vlcisci eadem poterit magistratus, nisi actione in iudicio mota. Nec obstat, quod idem *Coh. III. 13.* remittendas esse iniurias & actionem non intentandam iubeat: Eo enim loco de

de vindicta priuata loquitur, de qua nobis hic sermo non est.

## §. XI.

Retorſiones iniuriarum, quibus vulgo ſibi *De retorſio-*  
 conſulere ſolent ad auertendas iniurias, ne in iudi- *ne iniuria-*  
 cio actionem inſtituere neceſſe habeant, Apoſtolo *rum.*  
 probatus non eſſe, facile exinde conſtat, dum *Rom. XII.*  
 17. malum malo compenſandum non eſſe, ſerio in-  
 culcat. Idem repetitur *1. Theſſal. V. v. 15.* Clarioribus  
 verbis hoc expreſſit Apoſtolus Petrus *in Epist. 1. c. 3.*  
*v. 9.* vbi *ἀντιλοιδόγαν* expreſſe prohibuit. Aliud Vl-  
 pianus probatum videtur, quando in *L. 14. §. 6. ff. de*  
*bon. libert.* ſequentia habet: *Idem puto, et ſi ab eo peccatus,*  
*retorſit in eum crimina: ignoſcendum eſt ei, qui voluit ſe*  
*volentiſci prouocatus.* Cuius retorſionis exemplum idem  
 Ulpianus in *L. 25. ff. de procurat.* exhibet, quando pro-  
 curatorem excuſat; qui *Dominum mentiri* dixerat, ſub-  
 iecta ratione; quia *ferendus eſt, qui pudorem ſuum pur-*  
*gat.* Verum enimvero exinde retorſionem iure  
 noſtro approbatam eſſe, colligi non poteſt; vtrobique  
 enim non extra iudicalem vindictam, quæ hodie in  
 mores abiit, probat Ulpianus, ſed legitimam in iu-  
 dicio deſenſionem, qua Apoſtolum quoque contra  
 ipſum iudicem uſum fuiſſe, conſtat ex *Act. XXIII. 3.* vel  
 criminis ab altero pariter commiſſi iudicalem accu-  
 ſationem, hoc enim eſt *retorquere in alterum crimen*, ſi  
 de alio crimine accuſatorem pariter conueniat & pu-  
 blicam eius vindictam expetat. Interim paria deli-  
 cta mutua compenſatione tolli, conſtat ex *L. 39. ff. ad*  
*L. Jul. de adult.* non quaſi delictum alterius ita minua-  
 tur,

tur, sed vt ius agendi ad interesse priuatum tollatur; vterque enim facti sui publicas sustinebit pœnas Conf. Renneman. & Dn. Pfankuch *Tr. de Retors. iniur.*

## §. XII.

*De Processu.*

Processum ipsum in iudiciis frequentari solitum quod attinet, illum ab Apostolo improbatum fuisse non legimus. Potius ex actis Apostolicis constat, iudicium more Romano contra Apostolum formatum esse, cui non contradicebat Apostolus, sed ad motam accusationem prompte litem contestabatur, de quo videri poterit *Act. c. X. XIV.* Iudex ibi erat FELIX prouinciæ præses. Hic contra Paulum aliquid decreuisse iniquum censebat, nisi audita vtraque parte? absolum enim ipsi videbatur auctore nondum præsentem rei causam cognoscere *Act. XXIII. ult.*

*Citatio.*

Cum ergo Ananias pariter & seniores ex Iudæis comparuissent Paulum accusaturi, citatio eius præmittebatur. Comparente autem Apostolo accusatio eius per oratorem Tertullum nomine Iudæorum proponebatur, quem Tertullum Iuris Romani Consultum fuisse existimant Theologi Viniarienses in Paraphraf. Germ. *ad d. c. 24.* Accusatione finita ad singula litem negatiue contestando respondebat, *Act. XXIV. 10.* non tamen negabat illa, quæ veritatem religionis Christianæ concernebant *d. c. 24. v. 15.* Felice præside ex Palæstina discedente, succedebat ipsi Porcius Festus, coram cuius tribunali reassumebant desertam quadantenus accusationem Iudæi, quibus denuo negatiue litem contestando respondebat Paulus *Act. XXV. 8.* & cum Iudæi eius remi-

*Litis contestatio.*

missionem ad iudicium Hierosolymitanum desiderarent, ad exceptionem *litis pendentis* recte pro-  
uocabat Apostolus, eaque propter nullum aliud *lis pendens*  
quam Cæsaris iudicium agnoscere volebat. Ex quibus omnibus patet, etiam in causis Iudaicam & Christianam religionem concernentibus iudicium ethnici Præsidis & Imperatoris non declinasse Apostolum, ut vel inde constare possit, coram ethnico iudice litigare, nefas non esse.

## §. XIII.

Hoc quoque ex illo processu cum Apostolo in-  
fituto obseruari meretur, quod confrontatio in causis *Confrontatio*  
criminalibus necessario adhibenda, ut ille, qui aliquem delicti reum reddere cupit, præsens delinquenti sistatur *nata πρὸς ὄρον Act. XXV. 16.* quo ex vtriusque fronte iudex iudicium aliquod capere possit vel innocentia, vel latitantis culpæ; vix enim est, ut vultus non detegat internos animi affectus, *arg. l. observandum 19. ff. de offic. præf. de quæ confrontationis materia speciali*  
Tractatu egit Du. Tabor. Addatur Brunnem. *Process. inquisit. c. 3. m. 2. n. 97. Farinac qu. 72. n. 139.*

## §. XIV.

Porro cuius notum est, tantum defensionis reo-  
rum fauorem esse, ut & iudex ex officio illam promo-  
uere teneatur *L. si non defendatur. 19. ff. de pœnis.* unde frequentissima Dd. assertio est, defensionem nemini, ne quidem diabolo esse denegandam, vid. Tuschus *lit. D. conclus. 130.* & defensionis causa multa permittuntur, quæ alias non permitterentur, *Carpz. qu. 141. n. 37.* Hinc nec per statutum, nec per Principem tolli potest de-

fensio Barthol. Romuleus. *de homicid. necessar. p. 1. n. 37.*  
 Ut vero defensionem suam quisque deducere possit,  
 spatium sufficiens ipsi indulgendum, ad elidenda in-  
 dicia, quod antiquissimi Romanorum iuris esse lucu-  
 lenter attestantur *Act. Apost. c. XXV. 16.* vbi Festus  
 Agrippæ Regi causam Pauli referens dicebat, *Romani*  
*moris non esse hominem ad mortem condemnare, antequam*  
*spatium se defendendi acceperit.*

De Appella-  
 tione in Cri-  
 minalibus?

## §. XV.

Appellationis beneficium diu inter Romanos  
 frequentatum fuisse vulgo constat, præsertim vero,  
 quando de capite ciuis Romani dicendum ius erat, ad  
 populum prouocabatur, quod aliquoties a Cicerone  
 factum esse, ex ipsius Orationibus constat. Vnde fru-  
 stra quantum ad ius Romanum disputatur, an in cri-  
 minalibus appellare fas sit? Certi enim iuris est, non  
 tantum ei, qui ad supplicium ducitur, prouocare permitti,  
 verum alii quoque nomine eius, non tantum si illi man-  
 dauerit, sed quisquis alius prouocare voluerit: neque  
 distinguitur, vtrum necessarius eius sit, nec ne; credo  
 enim humanitatis ratione omnem prouocantem audiri de-  
 bere; ergo & si ipse acquiescit sententiæ; nec querimus,  
 cuius intersit. Quid ergo si resistat, qui damnatus est, ad-  
 uersus prouocationem, nec velit admitti eius appella-  
 tionem, perire festinans? adhuc differendum putem sup-  
 plicium, sunt verba Vlpiani *L. 6. ff. de Appellat.* Ex-  
 emplo suo hoc confirmat Apostolus Paulus, qui  
*Act. XXV. 11.* solenniter ad Imperatorem appellat  
*καίσαρα ἐπικαλέμαι*, vbi sane admitta fuit eius appella-  
 tio in causâ criminali. De qua materia pluribus vid.  
 Ol-

Oldekop. *Tr. de Appellat. in caus. criminal. vbi contra Carpz. iustitiam huius appellationis prolixè deducit.*

## §. XVI.

Verum ipsa Pauli Appellatio an necessum fuisset, *An Paulus*  
 vt ita promptè admitteretur, exinde dubium reddi- *necessum*  
 tur, quod nulla adhucdum contra Paulum sententia *habuerit*  
 grauens lata fuerit: cessante autem grauamine cessa- *appellare*  
 re etiam ipsam appellationem, expediti Iuris est.

Caluol. *in prax. Iud. §. appellatio concl. 5. n. 130. Meu.*  
*P. 1. D. 64. n. 1. & Dec. 212. n. 3. P. 2. D. 329. P. 3. Dec. 127.*  
*n. 5. P. 4. D. 335. n. 3. & P. 8. Dec. 4. n. 1.* Sed enim uero vi-  
 debatur Festus, a quo appellabat Apostolus, id age-  
 re, vt Paulum accusatoribus suis iudicandum trade-  
 ret. Inde enim Apostolus *cit. l. Act. XXV. 11.* his verbis  
 vtitur: *Si nihil in me est eorum, de quibus me accusant,*  
*ἴδεις με δύνανται ἀντίος λαγίσσασθαι.* Nam & vers. 9. Pau-  
 lum interrogauit Festus: *Visne a Synedrio iudicari me*  
*presente?* Itaque cum videret Paulus se hoc ipso ad-  
 modum grauari, ad Cæsarem appellabat, etiam ante  
 sententiam. Nam id permittunt Leges Romanæ, si  
 graue immineat damnum. *L. Ante sententiam 2. ff. de*  
*Appellat. recip.* Ex qua lege Dd. generalem regulam  
 formant: toties ante latam sententiam appellare li-  
 cere, quoties damnum illa graue dare posset. Scac-  
 cia *de Appellat. qu. 17. lin. 47. m. 1. n. 7. Menoch. 4. I*  
*2. l. 2. cas. 490.*

## §. XVII.

Appellatione interposita, medio tempore nihil *Appellatio*  
 nouari oportere, donec de appellatione fuerit pro- *ligat manus*  
 nunciatum, inquit Ictus in *L. 1. pr. & §. 1. ff. nihil nouar. iudici.*  
*appell*

*appell. interpos.* Ligat enim appellatio manus iudicis, ut ab omni nouitate & processu vteriori abstinere debeat, *Rebuff. ad Const. Regn. Gall. Tr. de appellat. art. 16. gloss. 1.* Quod si hoc non obseruauerit iudex, hoc attentato, imo spolio, comparatur, & hinc ante omnia reuocandum *Aym. Crauetta Constil. 302. n. 4. Meu. P. 4. Decis. 369. Menoch. Rem. 8. Ret. poss. n. 10. Lancellot. integro Tract. de Attentatis.* Obseruauit hoc Festus in processu contra Apostolum, qui ipse dimitti Paulum potuisse fatetur, nisi ad Cæsarem prouocasset, *Act. XXVI. v. 321.* Videbat ergo, manus sibi appellando ligatas esse, hinc ne quidquam in fraudem Appellationis committeret, abstinendum sibi censuit ab vteriori cognitione.

## §. XVIII.

*De Apostolis  
seu libellis  
dimissoriis*

Appellantibus post interpositam appellationem ab eo, a quo appellatum, ad eum qui de appellatione cogniturus est, siue Principem, siue quem alium, litteras dari, quas dimissorias seu apostolos appellant, testatur *Marcinus Crus in L. 1. pr. ff. de Libell. dimissor.* Hos apostolos Apostolum ad Imperatorem pariter accepisse, euidenter colligitur ex *Act. XXV. 26. seq.* Vbi absurdum existimat Festus cum litteris dimittere Paulum appellantem & causam captiuitatis non adiciere.

## §. XIX

*De sententia  
in causa  
criminali*

De publicis delictis & penis vltimo loco in iure nostro agitur; verum cum delictorum materia, quatenus Apostolus occasionem suppeditat, in fine Capitis præc. proposita, hoc obiter tantum subiicimus, ipsum Apostolum Paulum, cum Saulus adhuc esset, iudi-



iudicio criminali contra Christianos interfuisse, & in sententiis ferendis suum quoque suffragium tulisse *Act. XXVI. 10.* Imo executoris quoque officium sustinuit *d. Act. XXVI. 11.* Quem errorem, ex intempestiuo zelo commissum, ibi dolet. Postea vero ad Christum conuersus cum ipsi quoque, sine causæ cognitione & præuia sententia, flagella sustinenda essent, ad ius Romanorum ciuium prouocauit, annon nefas esset sine præcedente sententia & causæ cognitione (id n. indigitat vox *ἀναρχή* vti Zegerus & Varablus recte explicant) ciuem Romanum flagellis subiicere. *Act. XVI. 37.* Omnino autem refragari Romanorum pariter & Gentium Iuri, non cognita causa aliquem condemnare, docet aliorum testimoniis Grouius in *Comment. bibl. ad d. l.* Imo notabile admodum est, quod Paulus *d. l.* noluerit clam egredi carceres, sed postulauerit, vt ipsi Iudices veniant & eum cum Sila educant; in testimonium scilicet innocentiae, ne si clanculum fuerint eiectioni, quasi male conscii profugisse existimentur. Vti iterum Zegerus recte explicat. Quo ipso manifesto satis innuit Apostolus, ob carcerem sine causa perpeffum iustam dari querelam contra magistratum, quod conuenit cum *L. Nec magistratibus. 32. ff. de iniur.*

## §. XX.

Sed an ex illis Apostoli verbis *Act. XXII. 25.* an *De Pœna.* iustum sit ciuem Romanum flagellis cædere, colligi *flagellatio-* poterit, pœnam illam Romanis plane insolentem fuisse? Non videtur, quia Paulus ad casum, vbi sine iudici-

66 CAP. III. DE IVRE ACTIONVM FORENSIVM.  
dicio vel sententia hoc factum, respicit. Sed exaggerandi tantum causa illud verbum ἀνατάξεντο adhibuisse Apostolum, non dubiæ coniecturæ res est. Lege enim Porcia & Sempronia ab hoc infami supplicio liberati ciues Romani erant. Vnde Cicero Orat. V. pro Verr. dicit: *O nomen dulce libertatis! O ius eximium nostræ ciuitatis! O Lex Porcia legesque Sempronia! Facinus est vinciri ciuem Romanum, scelus verberari.* Alium Cæsaris ex Salustio locum adducit Grot. annot. ad Act. XXII: 25. & Liuius lib. Xc. 9. Porciam legem virgas a corpore ciuium amouisse memorat. Interim flagellis seruos Romanorum exceptos, constat, ex L. 10. pr. ff. de pæn. ciues vero fustibus subiectos fuisse, ex eodem textu liquet. Turpior itaque flagellatio erat, quam fustigatio; illa fiebat denudato corpore; & hinc vt maiori ignominia afficeretur innocentissimus Saluator, non fustibus sed flagellis ipsum affecisse Pilatum optime obseruauit clarissimus quondam Ictus Dn. Iacob. Andreas Crusius in not. Nomico Historicis ad passionem Dominicam p. m. 35.

§. XXI.

Conclusio.

Plura nunc non addimus, sed finem exercitio huic imponimus cum S. Chrysofomo *Serm. 55.* exclamantes: *Æmulemur Paulum, & imitemur fortem illam ac adamantinam animam, vt per vestigia eorum qui sic vixerunt euntes, possimus vite æstius pelagus pernavigare & in portum sine fluctibus peruenire.*

AD.

ADDITAMENTVM.

**A**ccipe itaque hæc L. B. & iisdem pro appetitu tuo fruiere; memineras autem Te, vt Virum bonum decet, hic quoque agere oportere, nisi iniqui censoris notam incurrere velis. Ita enim hæc scripta esse existimo, vt omnino benignam interpretationem admittant. Vnicum excipio, de quo nunc alia mihi est sententia, quam quæ ante decennium fuit. Scilicet quod cap. III. §. X. de iustitia actionis iniuriarum scriptum reperitur. Videbit quidem cordatus lector sententiam ibi propositam, plane non conuenire cum cummuni illo errore quo omnis actio iniuriarum pro iusta venditur, cum illa restricta sit ad necessariam defensionem innocentia & actionem criminalem. Interim tamen hoc tempore & ab illa sententia recedo, cum actio iniuriarum non sit iustum medium innocentiam nostram probandi, & actiones criminales, pariter vt ciuiles, solam vindictam pro fundamento habeant. Christianalia doctrina est, qui *Matt. V. 44.* ita docet: *Diligite inimicos vestros, bene precemini deuotentibus vos, bene facite iis qui vos odio prosequuntur, & orate pro iis qui ledunt & infectantur vos.* Quocum conspirat Apostoli doctrina *Rom. XII. 14.* Plura non addo, quia hac de re plenius dixi in scripto quodam germanico: *Einiges Christliche Den Icti Bedencken von Iniurien-Processen, quod*

*Imploratur officium boni Viri.*

*Et reuocatur sententia c. 3. §. 10. proposita.*

ante aliquot annos prodiit Lipsiæ cum censura, tum  
quidem ex grauissimis causis sine nomine, cuius ta-  
men me auctorem profiteri non erubesco. Conferatur  
etiam Dn. D. Bœhmeri Dissertatio, in hac Frideri-  
ciana habita, *de iniustitia Actionis iniuriarum.*

Hæc boni consule & faue.  
S. D. G.







ULB Halle  
001 957 880 3




sb

V3 17









Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

2. D. B. V.

EXERCITATIO ACADEMICA

De

VRISPRVDEN.  
TIA PAVLI APO.  
STOLI.

AVCTORE

D. SAMVELE STRYKIO IC.



RECUSA HALAE MAGDEBURGICAE,  
Litteris CHRIST. HENCKELI, Acad. Typogr.  
ANNO MDCCV.

198  
1645 23  
290

82

